

NAZIONALE
VITTORIO
ANUELE
6
18 F
63



IOANNIS Petrei Toletani Rhetoris disertiss. et Oratoris eloquentiss. in Academia Complutensi Rhetoricæ professoris, Comœdiæ quatuor.



Nunc primum in lucem editæ.





Toleti,

Apud Ioannem Ayalam.
Anno. 1574.

Cum Priuilegio.

¶Esta tassado en. 55. marauedis en papel.

YO Iuan Fernãdez de Herrera Secretario del Consejo de su Magestad, doy fee, que auiendose presentado en el Consejo de su Magestad por parte de Antonio Perez clerigo, vezino de la ciudad de Toledo, vn libro intitulado Comedias latinas, compuesto por el maestro Iuan Perez su hermano: y auiendose hecho en el la diligencia que la prematica dispone, se le dio licencia para lo poder hazer imprimir: con que despues de impresso lo truxesse ante los dichos señores, a corregir y tassar: y auiẽdolo impresso, lo presento en el Consejo de su Magestad: y por ellos visto, tassaron cada volumen delos del dicho libro, en papel, en cinquenta y cinco marauedis: y mandaron que imprima en cada volumen este testimonio de tassa. Fecho en Madrid, a veynte y tres dias del mes de Agosto, de mill y quiniẽtos y setenta y quatro años.

Iuan Fernandez
de Herrera.



† 2

El Rey.

POr quãto por parte de vos Antonio Perez clerigo vezino de la ciudad de Toledo, nos fue fecha relacion, que entre los papeles del maestro Iuan Perez vuestro hermano, Catredatico de Retorica en la vniuersidad de Alcala, difunto, auiades hallado quatro Comedias latinas q̃ se intitulan, la primera, Necromanticus: la segunda, Lena: la tercera, Decepti: la quarta, Suppositi: que eran muy vtiles y prouechosas para la republica, y auiades gastado muchos dineros en lo corregir y escreuir: atẽto a lo qual nos suplicastes os mandassemos dar licẽcia y facultad para las hazer imprimir y vẽder, con preuilegio por el tiempo q̃ fuessemos seruido, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como en el dicho libro se hizo la diligẽcia que la Prematica por nos agora nueuamente fecha dispone: fue acordado q̃ deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha

ra-

razon. Por la qual vos damos licencia y facultad para q̃ vos el dicho Antonio Perez, o la persona que vuestro poder especial tuuiere, y no otra alguna, pueda imprimir y vender las dichas Comedias que de suso se haze mencion, en estos nuestros Reynos y señorios, por tiempo y espacio de seys años, primeros siguientes, que se cuenten del dia de la fecha desta nuestra cedula en adelãte. So pena que qualquier persona o personas que sin tener para ello vuestro poder, lo imprimieren o vendieren, o hizierẽ imprimir o vender, pierdan toda la impressión que hizieren y vendieren, y los moldes y aparejos della: y mas incurran en pena de cinquenta mill marauedis por cada vez que lo contrario hizieren. La qual dicha pena sea la tercera parte para la persona que lo acusare, y la otra tercera parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercera parte para la nuestra camara y fisco. Con tanto que todas las vezes que vuieredes de hazer imprimir, durãte el tiẽpo de los dichos seys años, las dichas Comedias, las traygays al nuestro Consejo

juntamente con el original que en el fue visto, que van rubricadas todas las hojas y firmadas al fin del de Iuan Fernandez de Herrera nuestro Escriuano de Camara, de los que residen en el nuestro Consejo, para q̃ se vea si la dicha impression esta cõforme a el, y se os de licẽcia para lo poder vẽder, tassando en el nuestro Consejo el precio a que se vuiere de vender cada volumen: so pena de caer & incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nuestros Reynos. Y mandamos a los del nuestro Cõsejo y a otras qualesquier justicias destos nuestros Reynos y señorios, q̃ guarden y cumplan y executen, y hagan guardar, cumplir y executar esta nuestra cedula, y lo en ella contenido. Dada en Madrid a veynte dias del mes de Abril, de mill y quinientos y setenta y tres años.

Yo el Rey.

Por mandado de su Magestad.
Antonio de Erasso.

PERQVAM Reuerendis et magnificis viris. D. Rectori, et Collegis, insignis Collegij diui ILLEFONSI, scholæ Complutensis moderatoribus, ANTONIVS Petreius Toletanus.

S. P. D.



Ost editum à me opus in laudem diuæ Mariæ Magdalenæ, Rector amplissime, viri dignisſ. quod nuper cū alijs poëmatis Ioannis Petrei fratris quondam mei, mea opera excudēdum curaueram, ne tanti viri monumēta literarum interirēt, cogitanti mihi quid potissimum nunc in lucem ederem ex varijs eius scriptis, quod cum iucunditate legentium, vtilitatem iuuētuti

posset afferre: visum est has comœdias sele ctissimas emittere, ex multis quas noster Petreius nobis reliquerat, in Academiaq; Complutensi ediderat. Nam et Comicum leporem, cum grauitate et acumine argumentorum præ se ferunt, et testimonijs doctissimorũ virorum antiquitatem redolẽt, et fœliciora illa secula. Quibus neq; argumenta neq; scholia adiecimus, ne volumen absq; causa cresceret. Nam argumenta cuiuis rimanti facilè patebunt, quamuisq; obscura videantur, facilia esse intellectu, neq; nostra explanatione indigere, quisq; videbit. Præsertim cum in prima scæna primi actus explicentur: et in progressu fabulę clarius aperiantur. Præterea sic purus et candidus stylus videtur, vt si quispiam linguam latinam calleat, facile intelligat: sin minus, ab alio edoctus nullo negotio assequetur. Quod cum ita sit, argumenta et puritatem linguæ non ignorabit. Necromanticus et Suppositi, prologum habẽt: et Suppositi argumentum: in reliquis autem non inuenimus. Existimo id factũ transferentium incuria,

curia,

curia:siue author id ex industria fecerat, immutaturus fortasse aliquid, aut additurus: his de causis nihil addẽdum duximus in his Comœdijs. Quas cui tandem potius dicarem quã vobis, quibus certo scio fuisse gratissimas? Quasq; noster author in vestro Theatro, Academiaq; florentissima, ingenti omnium mortalium applausu, edidit? Suscipite igitur vestrum alumnum, vestroq; gremio fouete, faciteq; vt eius opera vestris gymnasijs illustrentur, qui toties vestram Academiam innumeris literarũ monumentis, eloquentiaq; decorauit, de vobis et de literis benemeritus: quorum interest illas esse florentissimas. Neque enim tam nostra quàm studiosorum interesse puto, has Comœdias publice lectitari. Quod si fit, speramus sanè nihil in eis ex Terentio, Plauto ve, amplius desideratum iri.

Valete.

LVDOVICI CATHENÆ Complutensis Academiæ Chancellarij, et Sancti Iusti et Pastoris Abbatis, in obitum Ioannis Petrei Toletani carmen.

Cur rapis ante diem, mors immatura, Petreium?
Cur tantum in magnos, impia, iuris habes?
Naturæ insidias moliri, inimica, videris:
Tendere et armatas in sua dona manus.
Quicquid enim toto præclarum nascitur orbe,
Protinus hinc fato tollis, acerba, graui.
Hunc pro sublatis à te præstantibus olim
Substituit nobis: hunc et, acerba, rapis.
Viribus, heu, nimis vsa tuis: quem intercipis vnũ
Ereptum decuit legibus esse tuis.

Eiusdem Distichon foribus templi affixum dum idem efferretur.

Effertur iuuenis supra qui se extulit omnes
Ingenio iuuenes: eloquioq; senes.

Mortem obijt anno ætatis suæ trigesimo tertio.

Hoja. Plana. Linea. Pro. Legas.
Fo.26.pa.1.li.16.est?di.es?fo.33.pa.2.li.18.el la.di. & lar.fo.42.pa.2.li.21.hac.di.hanc. fo.47.pa.2.li. 3.tumultum.di.tú multum. fo.50.pa.1. li.18. libinē.di.libidinē. fo.60. pa.1. li.15. desidebimus. di. dissidebimus. fo.62.pa.2.li.8. redditu. di. reditu. fin.tractatum.di.tractum. fo.68. pa.1. li.9. est.di. es. fo.69.pa.2.li.10.ac cuius.di.ad cuius.fo.80.pa. 2.li.2.at.di.ac.fo.99.pa.1.li.9.ego.di.equo.fo.107 pa.2.li.9.ragenda.di.ragēdis.fo.108.pa.2.li.4.est. di.es.fo.109.pa.1.li.4.iocalure.diga.ioculare. li.8. vitur.di.videtur.fo.112.pa.2.li.17.maltu.di.multu. fo.141.pa.2.li.7.calidissimi.di.callidissimi.fo.142. pa.2.fin.nunc.di.hunc.fo.154.pa.1.li.2.est.di.es.

En Madrid a quinze de Iulio de.1574.años.
Iuan Vazquez
del Marmol.

Perſonæ.

EVLALIA,	Vicina Æmiliæ.
AVRELIA,	Nutrix.
LIPPVS,	Senex.
CHREMILVS,	Senex.
EVBVLVS,	Senex.
MEDICVS,	Necromanticus.
GETA,	Seruus.
CYNTHIVS,	Adoleſcens,
THEMVLVS,	Seruus.
CAMILLVS,	Adoleſcens.
MATER,	Æmiliæ.
PEDISSEQVA.	
BAIVLVS.	
CALLIODORVS,	Senex.

IOANNIS Petrei Toletani,

COMOEDIA NECROMANTICVS.

Prologus.



N vobis rurſum ſpectatores optimi,
In ſcænam Necromanticū producimus.
Illam quam paucis his diebus antea
Exploſamq; et dimidiatam fabulam,
Hoc ipſo ex loco videratis exigi.
Quòd ſi tunc noſtro vti Necromantico
Suis vt licebat libuiſſet artibus,
Nunquam grex noſter ſuo ceſsiſſet loco,

Quin et vos ipſos feciſſet immobiles:
Atque his quibus ſedetis affixiſſet ſedibus:
Tanquam aut arbores, aut truncos, aut ſtipites
Perpetuò vt degeretis vitam ſpongiæ,
Muti, ſtupentes magis quã ſunt marmora.
Sed tunc habenda fuit nobis ratio
Temporis, lociq́;, et maximè Principis
Omnium optimi, cui minimè oportuit
Hac veſtra turba faceſsi negotium.
Quòd ſi nunc quemquam perſtrepentem ſenſerit,
Aut explodentem aut clamantem, illico,
In aſinum hunc, quantus eſt, conuertet maximum.
Vt non ſolum pedibusq́; manibusq́; plaudere,
Sed motis etiam poſsit auriculis:
Et ruditu ſcænam perſonare maximo.
Tum, et iſtos oſcitantes ſomno emarcidos,
In glires, aut vrſos, vt perpetuos
Sex inſepulti menſes edormiant.
Quin et iſtos blateratores inuidos,
In Rhinocerotas deformabit integros.

Vt nasuti quamuis sint, et nasutissimi,
Virulenta tamen lingua abuti desinant.
Neque dictitent quod solent, videlicet
Nos aliena compilasse scrinia,
Et ex Italicis bonis latinas fecisse malas.
Neq; enim furtum est, quod fateri non pudet.
Nos hanc ex Ariosti conuertisse dicimus
Ethruscis fabulis, eodem quo Terentius,
Quo Plautus iure de Græcis transtulit.
Quòd si quis hoc furtum calumniabitur,
Non me, sed ipsum qui sic neglexerit
Res asseruare suas, incusare debuit.
Quãquã ipsũ potius aggrediatur moneo,
Ac si quid detractum inuenerit de fabulis,
Tunc me furem et plagiarium clamitet.
Interim dum hęc agetur fabula, putate hoc oppidum
Cremonam esse, neq; mirum, eam Necromanticus
Hûc libratam transtulit per aëra.
Nos modò à vobis aures atq; oculos
Rogamus commodatò paulisper, inuicem
Reddituri linguas, ea lege tamen

Ea inquam lege, vt peracta fabula
Nostræ ad nos linguæ, ad vos vestri oculi
Redeant, et aures. Idq; Necromanticus
Iureiurando deierat sanctissimo,
Quæ hominis est probitas atq; religio:
Si quis aures, aut oculos præbere grauabitur,
Se hunc exoculaturum, exauriculaturumq;, ac pro his
Cereas et aures repositurum, et oculos.



Actus primi ſcæna prima.

EVLALIA. AVRELIA Nutrix.



EX quo mariti Æmilia ducta eſt domum
Mẽſem, aut eò arbitror eſſe amplius,
Nunquam viſendi data eſt occaſio
Ante hac. Atqui arbitror eſſe vnã omnium
Inter vicinas, quæ me charam ex animo
Habere, et inter cœteras. Sed eccam prodit foras
Nutrix ipſius. Quò nunc quæſo Aurelia?
AVR. Nullò ſanè Eulalia. Sed videbar quendam mihi.
Ex his qui vulgò vicatim herbas vẽditant
Audiuiſſe. Tu tamen quò nunc? EVL. Ad vos ſcilicet,
Æmiliam noſtram vt ſalutarem.
AVR. Atqui obſecro
Si illam amas, nolli faceſſere
Modò negocium, apud matrem intimo

In cubiculo laborat è dolore misera.
EVL. Quid est obsecro? AVR. Quòd mini
mè erat expectandum omnium,
Quod illi vertat malè, qui primus coniugium hoc
Excogitauit. EVL. Atqui mirũ est quàm
probatur omnibus:
Quanq; vnam omniũ prædicabãt optimã
Conditionem. AVR. Atqui nulla tristior
Esse misellæ potuit. EVL. Est honestus iuuenis,
Sic dij me ament. AVR. Est quod desidere
EVL. Fortasse diuitias? (mus aliud.
AVR. Neq; istud quidẽ. EVL. Numquid
est morosior?
An plus quàm oporteat mariti partes agit?
AVR. Ah vtinam id esset: nihil minus.
EVL. Quid ais? Nõ explet fortasse munus
viri?
AVR. Quid ille expleat? Tam est hodie virgo misera,
Quàm erat ante nuptias annis decem.
EVL. Summam miseriam. AVR. Reuera
summam omnium,

Vnquam quæ fœminæ poterãt accidere.
EVL. Atqui desperandum non est censeo:
Poterit tandem aliquando. AVR. Quando
tandem obsecro?
Si per quindecim, viginti et triginta adhuc
dies iacet?
EVL. Reperiuntur huiusmodi nõnulli qui
per annos aliquot
Impotentes, tandem valent. AVR. Id est
nunc miseræ expectandum scilicet?
Vt quę fame emoritur messem expectet no
Quãtò fuisset satius in patris domo uã.
Manere ociosam, quã hûc tranflatã nihilo-
Secius ociosam desidere, atq; famelicam.
Nam victus, pôtus, somnus, et huiusmodi
Affatim in paterna suppetebant domo.
EVL. Maleficæ hoc alicuius fœminæ
Haud dubiè est opus: cum qua prius ille cõ
sueuerat:
Quæ per inuidiã huic molita est malum.
Sunt tamen multæ, vt audio, ad medẽdum
viæ.
AVR. Tẽtatæ sępe sunt et tentãtur adhuc:
Nihilo tamen habet ille melius.

Quamquàm venisse quendam ad nos ex
his audio.
Quos vulgò Chaldæos et Necromanticos
vocant,
Qui miranda quædã pollicetur. Sed adhuc
Præter fabulas vidi nihil, vt malè timeam
Ne hoc malum prorsus sit immedicabile
Ne desint homini. Sed tenes iam quid ve-
lim?
EVL. Ah, quantò fuisset satius si Camillo
data
Nuptum fuisset, qui tam sæpè ambiuerat
Et tàm obnixè. Quid fuit in causa cur nega
ta est?
An quia Cynthius locupletior? AVR. Est
non sanè
Magnum discrimen. Sed inter soceros
Iam inde à pueris fuit arctissima
Familiaritas: nunc sat scio factũ ęgrè ferũt.
Et si facta infecta possent, quod aiunt, fieri
Sat scio darent operam
Ne pœniteret rursum initi consilij.
EVL. Quid ergo videtur? Non ero illi mo-
lesta. Vale.

AVR.

AVR. Vale et tu: licebit postea magis
Illam visas per otium, quod fiat vtriusque commodo.

SCÆNA SECVNDA.

LIPPVS. CHREMILVS Senes.

HIc est vicus, ni fallor, qui primus euntibus
Sinistrorsum versum post ædem diui Stephani
Occurrit: atq; hęc profectò domus Eubuli,
Cuius ex aduerso dictus est quem quærito
ille habitare,
Et si rectè memini,
Hæc aut illa est domus: fortaſsis ille quem
Inambulantem video, indicabit mihi. Sed quem ego hic video?
Eum ipsum per Iouem. Is ipse est, quē quæro planiſsimè.
CHRE. Númne hic est Lippus? LIP. O Chremile.
CHRE. Quid tu Cremonam Lippe? LIP.

O amice Chremile
Quàm te lubens video. CHRE. Credo, Et
ego te sic Dij me ament.
Sed quidnā quæso rei te huc ad nos attulit?
LIP. Vt pecuniā hic curarem, quæ nostro
A Philodami debetur heredibus. (Emilio
CHRE. Quamdudum autē veneras? LIP.
Heri sub vesperam.
CHRE. Quid rerum geritur Florentiæ?
LIP. Quod solet.
Audio te iā Cremonēsem factū ex animo.
Oblitumq; patriæ duxisse adolescentulam
Et bellam virgunculam. CHRE. Quid vi
detur tibi?
Quatuordecimum agebat illam quum du-
xi, vix nunc secundus agitur.
LIP. Atqui ego te sexagesimum iam egres
sum arbitror.
CHRE. Non credo attigisse me. LIP. Sat
scio ad eā metā peruenimus aut lōgius.
Dij approbent factum. Ego vulgò non sat
probari audio,
Fieri enim nō potest, quin. CHRE. Perge.
Quid, quin? Quid tu tibi vis? Tam nē tibi
vi-

videor
Desipuisse, qui fundū fertilissimum ad leuandam egestatem mihi compararim?
LIP. Magnā fortasse dotē nactus. CHRE. Immo exigulam:
Sed quæstus qui inde fit est ita vberrimus Lippe,
Et opimus, vt et victitarim hactenus, et mo do victitem facillimè.
LIP. Non Herclè intelligo. CHRE. Hoc dico Lippe tibi
Vxorem habere bellam et iuuenculam
Magnus est quæstus interim hominibus.
LIP. Ah Chremile, non tę digna loqueris, non te pudet?
CHRE. Pudeat verò? Quàm tu multos esse hîc putas,
Qui vxores nō in suum, sed in aliorū vsum comparant?
Hinc vestiti, lauti, et bene curati ambulāt,
Quos ego industrios credebam homines,
In summo tamen qui viuebant otio.
Cōmunia vbi sunt omnia, hîc planè respublica est.

LIP. Chremile ego te à puero mihi videor
satis
Pernouisse: certè quandiu apud nos mansisti in patria.
Neque vnquam putaui fore vt bene natũ
ingenium tuum
Atque educatum, contagione huius corrũperetur loci.
Verùm ego sat scio ioco simulare te alium
Quàm sis, quãq; fueris semper hactenus.
CHRE. Lippe mi, nec vellem nec possem
celare te quod sentio,
Idẽ est animus in te meus qui fuit hactenus:
Neque volo existimes bienij absentiam
Immutauisse fiduciam quominus
Cremonæ te, quam Florentiæ expectata
fide putem.
LIP. Habeo equidem gratiam, idem tibi de
me persuasissimum vabeas velim.
Proinde si quid est quod mihi committendum putes
Bono animo crede, continebo Herclè, ac
reddam bona fide.
CHRE. Ausculta igitur. LIP. Dic. CHR.

Primùm iam hoc verum ſcies
Habitare quamdam hîc adoleſcentulam
Quam vicini vxorem credunt eſſe meam:
Nō eſt tamen:immò verò adoleſcētis cuiuſ
dam Cremonenſis nobilis.
Vnde tamen hæc de me orta ſit ſuſpicio
Iam faxo ſcias ordine.LIP.Age.
CHRE.Noſtìne Erutiū ſororis meę virū?
LIP.Norim rogas?Dū ille Florētiæ ageret
Semper vnà verſati ſumus:eadem
Erat vtriuſque mens et animus.
CHRE.Quid,quando ille Florentia diſceſ
ſit,tenes ne?
LIP.Vix quinquenium eſſe arbitror.
CHRE.Immo verò nouénium,ſi rectè cō
putas.LIP.Nouennium?
Itàne?quā celeriter tēpus aduolat Dij bòni.
CHRE.Hûc cum veniſſet vnà cum vxore
puellulam vnam teneram,bellam
Quam pro filia eduxerant ſecū attulerāt.
LIP.Videre memini,et ex his fuiſſe natam
ego ſemper credidi.
CHRE.Non erat,immo verò fœminæ cu
iuſdam

Quæ à Calabris vſque profecta hûc in illo
rum domum
Diuerterat. Sed longũ eſt narrare ſingula.
LIP. Age vt velis. CHRE. Vt ad rem re-
deam hûc cum veniſſet Erutius
Partim pecuniola illinc aduecta, partim in
duſtria.
Scis autem quàm ille ad rem attentus ſem
per fuerit
LIP. Nõ erat alius æquè quod quidẽ ſciã,
CHRE. Hoc inquam ille pacto et hanc do
munculam
Et pluſculum quid rei parauit ſibi.
LIP. Credo: ac fortaſſe ille, magis rei
Rationem habuit quàm valetudinis.
CHRE. Haud dubiè. Nunc audi. LIP. Dic.
CHRE. Proxima in domo
Adoleſcẽs habitat et ꝓbus et nõ ignobilis,
Cynthius vocatur. Hũc ſenex iſte Eubulus
Adoptauit ſibi, eo ſcilicet animo
Hæredem vt relinquat vnicum:
Nam quem relinquat alium nõ habet filiũ.
Adoleſcens cõtra parem vt reddat vicem
Nõ ſecus obſeruat, et reueretur ac patrem:

Vt

Vt par eſt eum, qui nō genere aut opibus
Sed adoleſcētis morib⁹ adductus et ingenio
Hunc ſibi ſucceſſorem deſtinarit omniū.
Is igitur dum identidē Lauiniam (ſic enim
Puella dicta eſt) videt et alloquitur
Vt fieri inter vicinos ſolet, ſupra quàm dici poteſt
Cœpit inſanè deperire virginem.
LIP. Eſt illa forma quod quidem arbitror perquam liberali
Quod iam mihi ab infantia videre licuit.
CHR. Supramodū. Audi igitur. Cynthius primo precibus ac pollicitationibus,
Tentare cœpit aditum.
Reſpōdit illa qui erat pudor virginis,
Non aliter ſe in poteſtate eius quam vxorē fore,
Idq́; ſororis meæ Leliæ permiſſu et cōſilio,
Quam illa vt matrem et veneratur et nominat.
Hoc lubens feciſſet adoleſcens, ni timor
Illum et pudor continuiſſet Eubuli.
Quamquam ne ſic quidem ſe continuiſſet tamen,

Si ſororis eò hæc ceſsiſſet ſententia,
Verum hoc illa rationis habuit, irritum
Fore quicquid inuito et irato fieret ſene.
Itaq; hac ſpe illum illectatum ſuſpēdebat,
Verita repudiare palàm, ac de ſpe deijcere.
Interea mortuum mihi Erutium nuntiat ſoror,
Quod eodem ferè tempore accidit, et orat ſimul quoniam ſola eſſet,
Et haberet hîc neminē, hùc venirem, ſeq; ſolatio
Et conſilio iuuem,
Ad rem tutandam. Ego illi vt gratificarer hùc veni.
Continuò illa totam hanc mihi fabulam à principio aperit.
Ego identidē cum Cynthium alloquerer,
Et cognoſſem quàm ex animo deperiret virginem,
Exiſtimaui non oportere tantam occaſionem nobis præripi
E manibus: itaque viſum eſt non ineptum conſilium
Illam, vt clam vxorē ducat Cynthius,

Adhibitis duobus aut tribus teſtibus.
Idq́; ita attemperatè vt eodem tempore
Poſsim dicere me hùc veniſſe Florentia,
Hanc vxorē vt ducerem, eaq́; tantū gratia
Euocatum me à ſorore, quæ ad me mariti bona
Quorum erat penes illas hæreditas,
Simul cum hac virgine traduceret.
Itaq; nomen ego mariti ſuſtinerem, munus Cynthius
Occultè obiret, donec aliquà ſenex
His locū daret. Ille ergo perfrui expetens
Clam vxorem accipit, ac voto potitur ſuo.
LIP. Quid autē hoc neceſſe fuit ſimularier?
Nonne illam vxorem ducere, et clanculū habere
Sine iſtoc commento adoleſcens potuit?
CHRE. Minime rerum: nam ſi illa quod paucis poſt ferè diebus
Accidit, ex Cynthio fieret grauida, quo tandem modo
Occultaretur factum? quin et illius pudor
Et ſororis periclitaretur fama. LIP. Taceo.
CHRE. Bene habebat hactenus

Nego-

Negotiũ. LIP. Iſtud bene habebat me male
habet: neceſſe eſt aliquid
Acciderit mali. CHRE. Planè diuinaſti.
LIP. An verò iuuenis
Mutauit animum? CHRE. Nihil minus,
eſt idem ac ſemper fuit.
LIP. Quid ergo eſt? CHRE. Iam faxo audias: Paucis poſt ferè diebus
Quàm hæc ſunt geſta, noſter Eubulus Calliodorum æqualem ſuum
Alloquitur, neſcio quo ſiniſtro factum eſt genio
Vt de filijs ſermo incideret, inter vtrumq; conuenit,
Calliodori gnatam Eubulus filio vxorem vt daret.
Dant inter ſe fidem, nec mora eodem die
Deſpõdetur, domũ traducitur tã feſtinatò
Tam præter ſpem, vt ille perditus ſtupens
Nec verbum contra potuerit proloqui.
LIP. Itaque vidua manebit Lauinia viuente viro.
CHRE. Audi iam. Eiuſmodi nobis initũ eſt conſilium,

Vt nisi Dij omnes aduersi sint, sperem
In vado ac portu rem colocatum iri.
LIP. Quid ais? Dij faxint. CHRE. Ex quo Cynthius illam duxit,
Mensem esse arbitror cum vno in lecto cubarit, impotem
Se tamen ad venerea simulauit hactenus,
Et simulat, nil spōsa suspicāte adhuc mali.
LIP. Rem mihi narras incredibilem: fieri non potest.
Immo illum ego credo egregiè vobis verba dare.
CHRE. Minime rerum, minime inquam ô Lippe,
Neq; istud dicas si illum noris, quin et spōsa hoc certo persuadens
Sibi, rem nutrici aperuit, nutrix matri, illa ad maritum detulit.
Hinc Calliodorus dolens ac mœrens,
Nostrum adit senem. Hic qui affinitatem distrahit,
Et à tanta hæreditate excidere Cynthium nollet,
Quendam astrologū aut Necromanticum

vt aiunt,
Pactusq; est illi viginti numos aureos illũ
si morbo liberet:
Quo magis tu sis sciens, an nota sint mihi
omnia.
LIP. Quid tu porrò speras futurũ? CHRE.
Postquàm dies aliquot
Aut menses, in hac simulatione cõtinuerit
se Cynthius,
Calliodorus perpetuum hoc et incurabile
malum ratus,
Filiam reducat domum, et alium generum
Ociosus quærat, quo nos si semel explicamus laqueo,
Metuendum non est ne hunc sibi quisquã
generum
Repetat, tali quem sciat repudiatum causa.
LIP. Placet cõsiliũ: Dij faxint vt respõdeat
Euentus vt optatis: et Cynthius cõstet sibi.
CHRE. Cõstabit sat scio. LIP. Atqui vnũ
omnium
Illum ego iudicabo, quos vnquàm summa
constantia
Et fide audierim. Modò iucundissimũ est
mihi

mihi
Quod te conuenerim, Dij vestra probent cœpta,
Est vbi mea opera vti velis? aut me quid facere?
CHRE. Ad nos vt diuertas domũ quæso. LIP. Habeo gratiam.
Retinet me iste Quintius cum quo est negotium,
Ad quem diuerti veniẽs, vixq; adeò fuit
Te visendi copia, et nunc spectat domi.
CHRE. Agè illùc ego te vsq; cõmitari volo. LIP. Nisi quid est
Quod agas aliud.
CHRE. Eamus. Sed Eubulum ego video et vnà Necromanticum,
Qui recepit liberandum Cynthium.
LIP. Eueniat res opto, vt est credibile ęgrotum velle.
Nunc eamus, mihi morari non licet.

SCÆNA TERTIA.

EVBVLVS. NECROMANTICVS. GETA.

NECROMANTICVS

PRiusquam manus admoueamus operi,
Id volo facere, quod nemo mei ordinis
Haud vellet, haut sciret, si maximè vellet facere.
EV. Quid tu tibi vis? NEC. Vt nodum impendio facto diuinem tibi,
Sanabile hoc malum an prorsus deploratum siet.
Vt si ita sit, quod minimè futurū arbitror,
Et ipse meo honori, et tuæ pecuniæ consulam.
Iam nunc prædicendo quod modò in dubio est.
EV. Ah nolim desperes antequam tētaris, quin bono animo
Rem ipsam potius aggrediare velim.
Veneficiū istud est hominis aut fœminæ,
Quæ per inuidiam huic mollita est malū,
Quod tibi erit ad soluendum facile. NEC. Sic spero.
Herclè inoxumè.
Verum ea esse potuit in magicis peritia,
Hoc qui nodo constrinxit iuuenem, vt aut

nulla

nulla
Aut difficillima, sit ad explicandum via.
EV. Nõ lubet credere ex istoc esse genere.
NEC. Quid si sit? EV. Si sit ferendum.
NEC. Atqui nonne præstiterit id ante præ noscere,
Quam sumptus augeantur, et opera dispereat?
EV. Præstiterit. NEC. Hac ego gratia Manes volo elicere,
Vt in cadauer immissi, explicata voce causam
Mihi huius aperiant morbi, vt planissime
Sperare deinde te, aut desperare prorsus iubeam.
EV. Vt videtur. NEC. Si mihi ad manum esset vitulus niger
Tenellus, quem lactantem et obesulũ esse oportet,
Vt Dijs mactaretur inferis,
Hac ego nocte facerem periculum.
GE. Iam Herclè intelligo: cænam vult apparare suis conuiuonibus.

EV. Quid præterea aliud? NEC. Nihil: ſit tantùm fuſculus, idq; eſt
Satis. GE. Hinc ego labra ſpecto Herclè inungere.
EV. Iubebo ex armento peti protinus,
Eumq; ſelectiſsimum. NEC. Si aut in fron te aut armulis,
Notetur maculis ſubobſcuris, haut diſplicet.
GE. Si vel niue ſit candidior, non diſplicebit tamen,
Sit lactans ille modò et teneriuſculus.
EV. Parabitur in noctem. NEC. Et hac iti dem nocte peragetur ſacrifitium. GETA. Ventri ac genio. NEC. Quid, induſium lineum recens, candidum, vnde parabitur, quo nullus fuerit vſus antea? EVBV. Non Herclè ſcio. NEC. Viginti vlnæ è textrina petitæ, ſed tenui tela et candidiſsima? GETA. Interula eſt illi opus, hoc eſt quod agit. NECR. Tum et ad faſciam, cingulum, extremaſq; induſij oras perornãdas, veſtis laneæ erit opus vlnis quatuor. GE. Eſt illi ſubucula multum detrita, hinc ſibi

recen-

recentem parat. NEC. Quod in primis dictum oportuit, penè mihi exciderat: appendiculum. EV. Mihi domi est Peniculum. NEC. Non ego peniculum, sed appendiculum dico. GE. Spargit modò semen, vnde nascatur tunica. EV. Vide an commodato alicubi reperias. NEC. Non solent huiusce modi vtenda commodarier. EV. Quid fiet igitur? NEC. Id equidē cogitabam modò, ac sanè venit in mentem mihi, vix decē esse dies arbitror, cum ad me sacrificulus quidā venit, vltro venale offerens, quo minus autem emerim, per sex aureos stetit: quanquā dedisset sat scio ille minoris. GE. Hinc non solùm tunica, sed et pileus, crepidæ ac femoralia demetenda sunt. EV. Tanti istæ penulæ veneunt? NE. Non ego penulam dico, sed appendicula. EV. Peniculum an appendiculum, quid ego nomen moror? pretium moror. NE. Si extorqueri ab illo potest quatuor aut quinq; aureis, nō est quod moreris crede mihi. Si velis post reuēdere, minima iactura tua ad te redibit pecunia. EV. Est quid præterea aliud tibi opus? NE.

Nolim plura modò petere: quanquam scyphis duobus ex argẽto purissimo, maximè foret opus: verum hi commodatò alicunde sumi poterunt. GE. Maiora iam hic quàm aut thoracem mollitur, aut tunicam. EV. Sunt hi domi nostræ Dijs gratia: neque est opus aliunde peti. NEC. Tum et stragula et cærei, variæq; herbæ, et ad suffitum thymiamata, erunt necessaria: verum hoc impendium est quindecim denariorum, aut sexdecim: aut tu emi iube, aut mihi pecuniam et curam demandato. GE. Vbi semel inhæsit cuti ista irudo non dimittet, quin prius totũ exugat sanguinem. EV. Eamus iam intro: est animus neq; labori, neq; sumptui parcere, quoad tu me hodie euentũ rei edocueris. NE. Age, fac omnia intus parata sint: ego te hic specto. EV, Quin tu ingredere, ego enim Cynthium huc venientẽ video, quẽ paucis alloqui sine arbitris volo.

SCÆNA QVARTA,

EVBVLVS senex. CYNTHIVS adolescens.

Cyn-

CYnthi. CYN. Adſum pater. EV. Audi modò, quod ſæpe antea volui prędictũ tibi, neq; monui tamẽ hactenus diffiſus ſententiæ meæ, Id nũc vt te admoneam, occurſus iſtę tuus faciet. Ego Cynthi familiaritatẽ iſtã intimam cum hoc ſene Chremilo, nõ equidem probo. Neq; enim inter ſenes et adoleſcentes bene cõuenit. CYN. Hoc ego miror pater quod à teipſo diſſentias, qui ſemper ſenũ amicitia et cõſilijs, vtendũ adoleſcentibus ſoleas præcipere. EV. Verũ eſt, non tamen vbi diſcipulus magiſtrũ anteit doctrina Cynthi. CYN. Non Herclè intelligo. EV. Nempe vis ergo apertè me quę re ſtant loqui. Hoc dico tibi Cynthi, ſuſpecta mihi eſt et ingrata tanta cum eo ſene cõſuetudo, qui vxorẽ habet bellam et adoleſcẽtulam. Vt ſiue abſit ſiue adſit domi, patere nihilominus fores ſinat peruias. Scis quã ante hàc tuo te more viuere permiſſerim, quãq; neglexerim quod iſtius domum frequentares. Quippe eius famã nõ curabam, qui ſui curam abiecerat. Modo cum ad vxorẽ animũ appulleris, alieno iam amore viuẽdum

eſt tibi. Diſplicet hoc mihi, diſplicet ſoceris tuis, qui iam pridem id obſeruant, et ferunt grauiter. CYN. Nolim hoc aliter accipi quam ſit pater, ſat mihi conſcius ſum, nihil mihi de iſtac muliere in mentem veniſſe, quod pudendum ſiet. Verum cui maledicorũ linguas liceat effugere. EV. Nugæ: quid tibi commercij cum illis eſt? CYN, Nihil ſanè, mediocris et honeſta amicitia. Quaſi verò nouum ſit vbi fœminæ ſint ingenio ac forma liberaliore, eò vrbanitatis et cõſuetudinis gratia conuentus fieri? EV. Bella cõſuetudo: ſcilicet hi erant meorum temporũ mores. CYN. Tuis fortaſſe temporibus maior erat adoleſcentum licentia. EV. Immò ſenum maior prudentia. Nunc Herclè miror non omnes in turtures, ac turdos cõuerti, qui tam ſint craſſo et pingui ventre. CYN. Quamobrem tandem? EV. Quoniã quiduis nullo ſtomacho ferunt.

Actus ſecundi, Scæna prima.

CYNTHYVS, THEMVLVS seruus.

QVid de hoc caryolo sentis Themule, aut Necromantico, aut si quo mauis alio? THE. Vulpem ego illum o here, iudico astutissimam. CYN. Astutum fortasse, vulpem noli dicere. THE. Quid ille se profitetur scire? CYN. Hoc vnum scio illũ esse doctissimum, sed in magicis artibus supra modum: ac mihi persuadeo vix esse quenquam illi parem. THE. Vnde id conijcis? CYN. Ita mihi prodigiosa et stupenda eius de eo narrauit famulus. THE. Ah noli me celare obsecro, sic te Dij ament. CYN. Ac pro arbitrio illum et obscurare diem, et illustrare noctem posse. THE. Neq; istud quidem mihi erit difficile. CYN. Quid ais? THE. Si interdiu fenestras obstruam, et noctu lumen inferam. CYN. Abi nebulo, dico stingui ipsum solem, et noctẽ splendescere. THE. Hoc pacto oportebat hũc magna mercede ab ijs conciliari, qui olíueta habẽt, et aluearia. CYN. Cur ita tandem? THE. Quoniam vbi libuerit, et ceræ et olei augere licebit pretiũ. Quid ille præterea faciet?

CYN. Tremere terram ac moueri. THE. Idem mihi vsu venit, si foco testā inferam. CYN. Tu ludis; ac tibi videris audire fabulas. Quid porrò iam dices, quod se inuisibilē facit? THE. Vidisti ne tu vnquā? CYN. Bellua, quasi qui inuisibilis sit videri posſit. TH. Est ne aliud quod faciat? CYN. Viros ac feminas in mōstrosas vertit formas quadrupedū, et volatiliū, omniūq; animantiū. THE. Hoc paſsim videmus, neq; miramur tamē. CYN. Vbi tandē quadrupes? THE. Hoc in oppido, in quauis ciuitate, atq; adeò vbiuis terrarū. CYN. Quid ais? TH. Nō tu vides eos qui publicis preficiūtur exactionibus, questores, exactores, publicanos, mācipes, et huiusce generis homines, subito lupos, vulpes, ac miluos, fieri? CY. Verū planè inquis. TH. Quid cū ex sordido loco ad honores quisquā, et magistratus euehitur, nō eum tu asinū, et bouē dixeris? CY. Maximè. TH. Quin et cucullos plerosq; et hircos fieri, sed mitto dicere. CY, Est istæc tua pestilēs lingua Themule. CH. Immo verò illa multū pestilēs, quæ huiusmodi somnia

et fabulas, pro veris vēditat. CY. Itaq; non lubet credere tanta illū in magicis esse peritia? TH. Immo maxumè. Nā qui inanibus et nugatorijs verbis sic ludificatus est senē, vt ex tenacissima manu argētum illi excusserit, hunc ego hominem mirabilē, ac diuinū dixerim. CYN. Tu aliud agis, neq; ad rem respōdis. TH. Tu vera loquere, aut veris similia, tūc ego vt par est respōdebo serio. CYN. Age hoc mihi dicito: tu illū credis quā prædicant esse in magicis peritum? TH. Fortasse. Verū istæc monstrosa et prodigiosa quæ dicis, nō possum adduci vt credam. CYN. Rerū imperitia te hoc sentire facit. TH. Hoc scio, nō mihi videri credibile homines in alias imagines transformari; aut inuisibiles fieri. CYN. Tu obstinatè aduersaris. Quid euocari Manes, dic an non hoc fateberis? THE. Vulgo omnes fatētur, idq; adeo facit vt assentiar tibi. CYN. Hoc ergo si fateris, diffiteri nō potes me omniū esse hominum qui viuunt, miserrimum. THE. Quamobrem tandem? CYN. Si hic Manes euocaret semel, eosq; consuluerit, nonne

nonne eum necesse est scire, neque me debilem esse neque impotem, qualem me hactenus assimulo? Tum et huius commẽti caussam nimirum vt me istoc expediam coniugio? Quod simulac resciuerit meus senex, quid tu porrò futurum speras? THE. Nimirum peiorem in locum res adduci non posset: verum nescio quid iam mihi ego in mẽtem venire sentio: iam faxo. CYN. Quid ais? THE. Videtur hic mihi medicus ad quæstum non parum sane attentus. CYN. Idem mihi iampridem est visus. THE. Et quadraginta potius aureos si offerãtur, quã viginti accepturus. CYN. Haud dubito. THE. Hosce viginti aureos illi pactus est senex morbo si te liberet, deductis hinc fortasse sumptibus. CYN. Quid tum postea? THE. Illum tu adito vbicumq; est, totũq; hoc aperi negotium, ac magnifice illi quadraginta pollicere aureos, si det operã qui te hoc explicet coniugio. CYN. Ne quadraginta quidem oboli est, vnde mihi suppetant: tãtum abest, sperare vt aureos debeã. THE. Hoc tu ad tuam Leliam et Chremi-

lum defer, illi despiciēt. CYN. Nihilo plus promouero. THE. Mihi crede illorum res agitur, magis quam tua: aut diuendita aut opignerata suppellectile, vnde vis extricabuntur nummi. CYN. Placet consiliū: modò vise an domi sit Chremilus: illo incōsulto nil tentari decet, nec Necromanticū, nec quenquam alium conuenirier, aut verbum de re fieri. Est ne domi? THE. In forū prodijsse modò aiūt: CYN. In forum? Illuc eamus. THE. Est ne hic iuuenis, a quo prodigiosas illas narrationes de Necromātico acceperas? CYN. Is ipse est. THE. Facies veteratorem indicat summum. CYN. Veteratorem ego illum non arbitror, sed te incredulū. THE. Agè, eamus, nihil periculi est, si ego istuc non credam.

ACTVS SECVNDI, SCÆNA SECVNDA

GETA famulus.

ENimuero mirari satis confidentiam nequeo, qua meus herus hoc capessit nego-

gotium. Nam vix cum literas norit alphabeticas, Philosophum tamē se profitetur et iactat, medicum, astrologū, arcumistā, magum, et qui Manibus imperet, et ab inferis excitet. Cum tamen nō alia sit in his rebus, et alijs peritia, (licet magnifice se venditet passim) quā asinus aut bos, solet esse in musicis. Operæpretium autē est videre, quam constanti et vero vultu, sapientiam assimulet, quo supercilio, quibus labris meras nugas et fabulas detonet, iactās et cōtorquens caput, ac sibi multū placens, verba profundat sapientia. Ad eam rem adiumēto illi est aliena stultitia, inuitamento opes. Ita nos tā quam errones huc atq; illuc vagamur, vertentes subinde solum, passim vestigia relinquit ille sui, non secus ac limaces solent, ac verius vt ignis et fulmen vastans omnia. Ac ne prodatur, nomen et patriam ementitur aliā, modo Euphorbium, modo se Dioclem nominans, inde interim è Græcia, interim ex Ægypto, mētiens. Longū est enarrare quam multos ille nobiles viros, fœminas pessum his tegnis dederit, quam multas

tas exhauserit ac compilarit domos, stupris passim polluens, dum se sterilitatem medicaminibus posse vincere, et fœtus abigere: ac veneficijs cōciliare amores ac disiungere posse, se iactat impudēs. Modò se ille in manus præda illi optulit, quam ille ceu miluus aut accipiter, inuolauit vnguibus.

SCÆNA TERTIA.

NECROMANTICVS GETA.

Mihi erit curæ tametsi nullus moneas: mitte modo. GE. Optume huic mandes si quid recte curatum velis. NE. Hem, tu hic aderas? te ipsum volebam Geta. GE. Sat scio maluisses alterū cuiusmodi is est, quē relinquis intus. Verum quomodo res acta intus est? NE. En tibi argentū, vt emātur omnia: quis tibi videor? GE. Quid nunc fiet? NE. Eamus scilicet ad emendū, vitulus in ipsum hospitiū nostrū adducatur volo. GE. Scyphos argenteos quod pluris est, te malim expiscari. NE. Sub noctē specto, nā arbitror illū vt hominē bene cautū, accepta

Syngrapha,et adhibitis testibus, velle tradere. GE. Si me audis quamprimum ille dederit, nos hinc Venetias euolabimus. NE. Hui. Cum hac tantula præda me hinc emigraturum speras? Aut hoc vnum mihi esse negotiũ in hac tam fatua ciuitate tam plena stultitiæ? Quam occasionem si relinquo tam possum affirmare me centum perdidisse aureos, quam si vltro illos in mediũ proiecissem mare. GE. Est ne alia esca tibi degluticnda præter istum Eubulum? NE. Iam dicam tibi. Nostine Camillum istum adolescentulum rubicundulum pusillum? GE. Quid ni norim, qui te tam frequenter adeat? NE. Vxorem ille Cynthij deperit ad insaniam, neq; nunc primum, sed antequã huic nuberet, iam ille amabat, omnibusq; modis elaborauit has ad se nuptias tradere, neque potuit tamen: modò hanc vt audiuit fabulam de istius impotentia, qui sulco vomerem non posit imprimere, in spem erectus est futurum, vt hic fundus sibi tradatur excolendus: cumq; audiuisset me eum esse qui dentem vomeri protrudendũ susce-

pe-

perim, continuo me adijt, et stillato protinus in manum argēto, amorem mihi suum aperit, meq; orat flens, vt quoniā vnus pos sem, illi opitularer, et efficerem quī hęc euiratio et debilitas Cynthij magis elāguescere t: eoq; nodo illigarem hominē perpetuo vt redderetur impotēs. Idq; si facerem triginta mihi pactus est minas aureas. GE. Factum placet, neque amitti è manibus cōuenit, priusquam aliquà permanarit ad senes. NE. Scilicet: te mihi doctore opus est. Nemo est detritior in emungendis marsupijs. Triplex ego genus animantium esse cōperio. Alia sunt quæ viuentia nihil prosunt mactata iuuant: vt sues et lepores. Alia sunt quæ et viuentia pascunt, ac ne iugulata quidē prodesse desinunt, vt boues ac pecudes. Alia postremo ex quorum cæde nullū fructum petas, vita tamē multis modis est vtilis. Huiusmodi sunt iumenta, puta equi, atque asini. Triplex quoq; genus hominum esse videtur: alij sunt quos nūquam obuios habeas nisi aut in itinere aut in diuersorio. Hos quamprimum nactus sis occa-

ſionem,ſpoliato,mactato, occidito, nihil miſereat,nunquam elapſa redibit occaſio. Alij ſunt vt opifices,coqui,ſartores, parochi,a quibus ſubinde ſeſterciolum, nũmulum aliquem exprimis,ſubinde fallis, et ſe decipiendos præbent incauti ac rudes.Hos ſi occidere velis, neque habent quod edas, neque vnde ſubſidium pares.Alij ſunt in ciuitatibus ampla et copioſa re, multis latifundijs craſsi ac diſtenti, multo lacte et adipe,tum vellere onuſti,et graues. Hos oportet ſubinde demulgere,atque deglubere,et lanam detondere,idemtidem modo argenteos decem, modo aureos emungere: paſcunt te interim ac multo reditu iuuant. Verum vbi vertendum ſolum,aut fuga aliquò te debeas proripere, ibi nihil miſertus manus inijce, macta, diſperde, dilacerato, excoria,ad intima graſſaberis præcordia,et totos deuorabis integros.Hac vltima in claſſe Eubulum ego et Camillum cẽſeo. Quos promiſsis inanibus et fabulis interim lacto, et lactabo,quamdiu ab illis contra exprimi lac poterit.Poſt vbi minime ſperaris, cum

pin-

pingues maxime et distentos sensero, pellem his detraham, et integros ad ossa vsq; deglutiam. Ea nunc gratia quamdiu ab isto Camillo lactis aliquid speratur, et succi, sitauiter illum pasco, hærbulis ac frõdibus spei vanissimæ, promittens me ita Æmiliæ animum eius amore inflammaturum, vt velint nolint parentes, cum primum à Cynthio discesserit, illum sit maritum habitura. Atque adeo persuasi homini sic me laborasse in ea re, vt eius amore Æmilia iam insaniat, literasq; subinde ab illa fingo, et mille perfero mendacia. GET. Absoluisti tandem tam lõgam fabulam? NEC. Quin et munuscula quædam hoc est meras nugas, tamquam ab illa missa ad hominem defero, quæ ille cœlo delapsa putat. GE. Hæc plane esca est, qua tu hamum deuorandum præbes. NEC. Crede mihi, si ego vnum impendo obolum, rediturum ad me aureum. Id quò magis intelligas Hyacinthum hodie mihi dedit auro inclusum, quẽ contrà illi pro dono redderem. GE. Idq; tu facies? NE. Si tu consulis: fortasse. GE. Ego

vero minime per Iouem. NE. En tibi. GE. Pulcher: sic Dij me ament. NE. Sed ipse interuenit: finge te nil horum intelligere, nec verbum eloquere. GE. Mutus adero.

SCÆNA QVARVA.

NECROMANTICVS. CAMILLVS. GETA.

NECROMANTICVS.

QVò nunc adolescens omnium in amore fortunatissime ac venustissime? CA. Ad te quem mihi ego presentem Deũ puto, cui salutem meam debeo, quem mihi votis ac precibus placandum censeo. NE. Mitte verba, ac mea opera vtere vbi velis. CA. Summã habeo gratiam. Verum quid agit mea spes, ac vita dulcissima? NE. Tace sis. Secede tu lõgius Geta, amoue te ocyus. GE. Mira fides hominis: nemo est illo in cõtinendo arcano fidelior. NE. Non oportet famulos interesse sermonibus et consilijs, facile effundunt si quid audierint. CA. Placet

cet diligentia. Non ego ſane animaduerteram. Sed dic tādem obſecro, quid agat mea ſuauiſsima ac dulciſsima Æmilia? NE. Ardet ſcilicet tui amore ac deſiderio: vt niſi cito ſubueniam, eius vitæ ſit timēdum. CA. O me fœlicem. NE. Vt cera ad ſolis radios liquefit, et tabeſcit. CA. Ah nolim ego illā mei cauſa ſic macerari. An me vis ipſum dolore emori? Quamobrem quæſo te celeriter hoc perfice. Nam ſi tu ſemel affirmaris Eubulo immedicabile hoc eſſe malum, non dubito quin illam continuo vltro ad me traducat pater. NE. Hoc idem illa a me et multo quidem obnixius contendit. Verum vos amantes quæ eſt veſtra libido, ei vt morem geratis, ac perfrui detur veſtris votis, nihil penſi habetis: temere et incōſulto ruitis perditum vos euntes, et quas amatis ſimul. Dic mihi, ſi hoc malum Eubulo dicerem eſſe inſanabile, ſic derepente nondum tentata vlla ad medendum via, nonne fraude rem geri indicium eſſet planiſsimū? CA. Tibi in omnibus auſcultandum ſtatui. NE. Certe es tu, quā illa multo hac in par-

te moderatior. CA. Quid non illa itidem facit? NE. Faciat vero? Exardescit ac turgescit bile, neque verbum auscultare vult, lachrymis ac mœrore conficitur: dicēs me studio diem de die ducere. CA. Nunc adeo intelligo nihil esse tam difficile quod tibi factu facile non fiet, qui sic eius animum accenderis: quam ego per quinquēnium cum adamarim, solicitarim, ambierim, nunquā aut nutum aut significationem amici animi potuerim deprehendere. NE. Quid si literas inspexeris, quas illa ad te mittat? CA. Quid cessas exhibere? NE. An vero velles ostendi tibi? CA. Supplex aduoluor genibus. NE. En tibi igitur epistolam, cui manus illa niue et lacte cādidior pulcherrimos characteres inscripsit, quam ex eburneo pectore deprompsit, vbi fouebatur in sinu illo odoratissimo. CA. Hasce ne illæ manus inscripsere? In illo sinu sunt asseruatæ? NE. Ibidem plane atque illinc depromptas, mihi manu dedit. CA. O felicem chartam, fœlicem ter et amplius supra quam dici potest, cui plane æquum est illæ inuideant,

deant, quæ tabellionum et aduocatorum inſcribuntur calamo, quibus mandantur fraudulentæ ac litigioſæ cautiones, libelli, ſtipulationes, ſyngraphę, chirogapha, et reliqua quæſtuoſæ et calidæ artis machinamenta. Quanto tu modo pretioſior es, tametſi chartula ſis detrita et tenuis, quam vbi linea tela vel carbaſea, ſummi alicuius prĩcipis intima, veſtiebas corpus? Sed quid ego moror aperire te, ac legere, quæ lectio totum me perfundet lætitia, et multiplici gaudio delibutum reddet. NEC. Ah noli obſecro eam explicare modo. CA. Quam ob rem tandem? NEC. Quia periculum eſt ne exanimatus concidas. Nam ſi obſignata adhuc et complicata, haſce à te exprimebat voces, quid fieri par eſt, vbi euoluta cœleſtes characteres inſpexeris, diuina exaratos manu, qui nihil ex ſe aliud quam merum ignem ſpirant. Ibi tu neceſſe eſt quaſi impos mentis exclames, et furore percitus, totamq; hìc viciniam cõgreges. CAMIL. Quid igitur non permittis legere? NEC. Non ſane, quin te domum

prius confer, ac si me audis ibidem te colũnæ alligari facito, indissolubili nodo. CA. Tu fortasse times ne furere incipiam? NE. Aut equidem, tãquam aiunt nimia lætitia homines interim dementari. Sed Æmiliæ mater prodijt foras, nolim nos hic offendat, ne quid suspicetur mali. Si me amas secessum pete, et illic legito. CA. Ego vero concitatissimo cursu domum rectà peto, in intimas ædes me abditurus. NE. Nos eamus, ad id quod restat conficiendum.

SCÆNA QVINTA.


ÆMILIÆ MATER. PEDISSEQVA.

MOderatius fer quæso filia, neq; te afflictes; vna mors est quę euitari non possit, cœtera omnia ratione fiunt tolerabilia cordatis fœminis. Vale modo. O vitæ miseriam, quam multa impēdent tristia et acerba, quæ ratione prouideri nõ possunt. PE. Perecastor õportebat nõ nisi facto prius periculo vxores maritis dari. MA. Tace bellua. PE. Quid bellua? Verũ Ædepol hoc

est.

eſt. Si tu quid emis, contrectas, et exploras, in manus ſumis, intus foriſq; contēplaris, faſciam puta aut calceos emis, quam nō credis oculis. Hic vbi noſtra res plane agitur, temere ac ſine delectu maritis nubimus. MA. Ebriam ego te eſſe arbitror. PE. Nunquam magis fui ſobria. Quanto prudētius noſtra hæc vicina, quæ cum iuuenem apud ſe quindecim fere menſes perpetuo habuerit, eumq; in re maritali experta eſſet ſatis, maritum deinde filiæ dedit, quam habebat vnicam. MA. Pergis impudica? Non te pudet? PE. Pudeat vero verum dicere. Nunc experta es ſatis quam hic gener ad rem inептus ſit miſſum facito, et alium quære. Sed ſi me audis tu prior periculum facies. MA. Dignum te cōſilium malefica. PE. Si id nō placet, mihi experiundū dato; ſat ſcio quē ipſa probaro non diſplicebit filiæ. MA. Tu ſine tuo magno malo tacere nō potes ſceleſta, venefica, tace, ac me ſequere.

Actus tertij, Scæna prima.



CHREMILLVS. THEMVLVS.

THemule valde timeo, ne parum prudēter consuluerimus Cynthio, vt animū suum aperiret Necromantico. THE. Ah, non est verendum vt quod ad se recepit, fidem tam multiplici iureiurando obstringens, id prodat tandem. CHR. Non est id quod ego metuo Themule, sed ne rem ille cum intellexerit, quomodo sese habeat immutet medēdi rationem, et magicis artibus ac veneficijs Cynthij animū abalienet à Lauinia, et ad hanc Æmiliam transferat. TH. Proinde totū ego negotiū in his quinquaginta aureis, quos tu illi promisisti, sitū esse arbitror, ij mihi crede multo plus in hominis animo valēt, quā aut magicæ artes aut cantamina. Hos abi continuo et quære, et ad illū defer. CHR. Eo rectà hinc ad Leliā, vt illos mihi numeret. TH. Quid quinquaginta dabit? CHR. Et quidē faciet. Nam Lauiniæ mater, quæ mortua est, capsulā huic cum anulis reliquit, et quædā alia aurea, ac vestē sericeam ad pretiū vt arbitror centū

minarum, aut circiter. Quæ omnia ſoror mea diligenter aſſeruauit hactenus, eo ſcilicet animo vt ſi quando huius agnoſceretur pater hæc eſſent ſigna manifeſtiſsima: nūc vbi aliud ita res poſtulat, mutabit ſententiam. Et parte diuendita aut pignori data hoc argentū vndeuis parabitur. TH. Optume ſe res habet. CHR. Nunc domum hinc cōcedamus. TH. En tibi Cynthium, et vnà medicū. CHR. Mitte modo, hoc agamus, poſt Cynthiū quid geſtū ſit edocebimus.

SCÆNA SECVNDA.

NECROMANTICVS. CYNTHIVS.

HOc primum tibi Cynthi perſuadeas velim, nihil eorum quæ narraſti hactenus, incompertum mihi aut occultum fuiſſe antea, quid volueris, quid finxeris, iam inde à principio noui omnia: et quamuis aſsimularim ea me adhibiturum medicamina, quæ ad rem vxoriam vires excitarent, non feci tamen, neque tua ſimulatione ſum deceptus, quinimmo tui com-

miſe-

miseratus tuam dolebam vicem. Itaq; sine vllis tuis precibus te nulla hactenus in re nostra læsit opera. CYN. Quod hactenus imprudenti ac nescienti benefeceris ô magister, summam equidem habeo gratiam. Nam si nullis officijs adductus meis aut precibus, tam in me benignus ac liberalis fuisti, multo magis futurum spero, cum id à te orauero, ac tibi me totum commisero, summamq; a me et habendam ac referendam gratiam intellexeris. NE. Faciam equi dem, ac lubens, idq; adeo polliceor tibi biduo te liberatum iri. CYN. Fœlicem me, si vera prædicas. NE. Expertus credes. CY. Si videtur narra mihi obsecro, rei efficiũdæ modũ. NE. Narrabo, stipulatus a te tamen silentij fidem, ne cui hominum dixeris. Ac si mihi licuisset te nesciente id facere, fecissem vtique libentius. CYN. Quid si me diris omnibus deuouero, non es habiturus fidem? NE. Habebo, tametsi te nõ deuoueas. Verum nunc fortasse istoc es animo, post vbi Lauiniam conueneris continere nõ poteris. CYN. Neque Lauiniæ neque cuiquã

ver-

verbum fecero. NE. Dicam. Iam primum si patri tuo dixero; deploratum esse hunc morbum nō facile adducetur ad credendū. Primū quia difficulter creduntur quę quis nollet accidere: deinde quod alicuius insidijs et dolo, hoc suspicabitur fieri: deinde inuidere me fortasse existimarit tantam hanc sibi fœlicitatem, idq; studio facere, istā scilicet hæreditatem ab illo vt auertam aliò. Quamobrem aliud ego excogitaui: vt cum hac nocte tu Æmiliæ lectum petas, ibi quēdam deprehēdas. CYN. Quemnam? NE. Adolescentem scilicet qui Æmiliæ concubitū petat. CYN. Me fortasse ipsum? NE. Minime: immo adulterū quendam. CYN. Quid ais? Auertant superi illa vt sit adultera. NE. Non: est vero pudicissima. Verum hinc suspicio adulterij exorietur maxima, eritq; tibi iusta ad repudiādum causa, quin et senex illico illam remittet in parentis domum, et tu exolueris vinculo. CYN. Ha, maximum istud scelus esset, et infamia mulieris. NE. Quid ad te, modo te hac molestia liberes, et eam extrudas domo? CYN.

Non

Nō placet. NE. Ego ad me recipio. CYN. Minime rerū, minime inquam patiar. NE. Permitte te moderandum prudentioribus: ne repugna: nulla est aut facilior aut breuior via. CYN. Aliud quære, non sum hoc facturus. NE. Si tu me domi conueneris docebo nihil magis esse in rem tuam. Sed vt tibi morem geram, audi iam nunc aliud. Proin tu mihi aureos octo quære, his adde octo, his etiā octo. Cōficiunt vt arbitror viginti quatuor. Adiunge adhuc quindecim, post rursum viginti quatuor, implebūt septuaginta tres ni fallor. Hac ego nocte te ipso inspectante, (ne tu rem fraude geri autumes,) hinc tres fundētur laminæ: quibus insculpi deinde characteres oporteat, earumq; aliā sub ipso limine, tum aliā Calliodori, tum etiā tuo infodi necesse est. Quin et tres imagūculas cōflari oportet, singulas singulis vestrum nuncupatas nominibus, Calliodori, Eubuli, ac tuo: quas septē interdiu horis septem, itidem noctu domi apud me, magicis sacris oporteat lustrari: post, euentum rei breui videbis admirabilē; om-

nes istorum voluntates immutari, et Æmiliam vltro paterna domo exigi. CYN. Tāta vi auri est opus? NE. Tāta. CYN. Vnde igitur parabitur? NE. Vnde igitur paraturus eras, quos mihi mercedi ac pretio destinaras? CYN. Cogitaram omnē suppellectilem diuendere, quā isti soceri habent mei. NE. Hi igitur quos mihi destinasti maiorē implebūt partem: reliquos viginti tres tu vide vnde poteris cōtradere. Vbi opus peregero, ego aurum ad me meum retrahā, ad te redibit tuum. Abi ergo ac sedulò quære. CYN. Id nūc demū mihi persuadeo, quod iampridem sibi de istoc Necromantico persuaserat Themulus. Iam primū quadraginta illi aureos decreueram, ille vero quinquaginta à me suis extorsit artibus, nūcq; adeo dat operam vt viginti tres exculpat alios. Cumq; iam à principio nō nisi peracto opere eos se velle dictitauerit, modo imagunculis ac laminis faciendis, eos à me conatur præripere. Næ ille me satis concitatum putat, qui me credat ad cursum nullis indigere calcaribus.

SCÆ-

SCÆNA TERTIA.

GETA. NECROMANTICVS. CAMILLVS.

GETA.

EX his tribus coturnicibus quibus inten dis retia, quam speras quæso escam futuram tibi? NE. Modo me videbis insidiantem omnibus, et captantem singulas, post in eam inuadere quæ sit omnium pinguissima. GE. En tibi vna ex his vltro aduolat. vbi libuerit insilito. NE. Quis est? Camillus fortasse? GE. Is ipse. NE. Iam ego hunc discerpam, et vsq; ad ossa deuorabo. O Camille. CA. O magister. NE. Legistine literas? CA. Legi. NE. Quid ergo videtur? CA. Difficile ac periculosum quod petit, vt hac ego nocte in eius cubiculū me immittam. NE. Hoc tibi videtur difficile? Quasi in leonum caueam te præcipitare iubeat. CA. Atq; id minatur nisi hoc ego fecero, illam vltro ad me vēturam. Te consulam qui me prorsus quid sit faciendum edoceas. NE.

Quid

Quid tu ludere fortasse illam credis? Hoc tibi dico Camille, eo illa desiderio est, immo vero rabie visendi te inflammata, vt decreuerit hac ipsa nocte mariti lecto se suffurata, ad te rectà domum venire. CA. Ha, noli obsecro pati, minime rerum, esset facinus omnium audacissimum, turpissimum, dedecus, infamia perpetuã illi maculã aspersura. NE. Quid tu non credis me conatum omnia? Neque optinere potui, nisi prius fidem dedissem me hac nocte effecturum, vt tu in eius cubiculum venires: nam ipse Cynthium in meo cubiculo continebo, assimulans balneis quibusdã oportere ipsum vti, et vnctionibus, causa scilicet valetudinis. CA. Hoc tu consulis? NE. Consulo Herclè, atque id profiteor si hoc feceris, cum gratia illam et voluntate parentum, intra quatriduum tibi vltro datum iri, legitima vt sit vxor. CA. Ac periclitari poteram, me ita in alienam cõmittens domum? NE. Haud dubie, si sine mea opera et ope faceres. Verum cũ ego rebus omnibus intersim, tam tuto potes quam domi tuæ. CA. Age, mo-

dum mihi narrato. NE. Sunt innumeri, et mihi facillimi. Nam primum si velim in canem te tranformauero domesticum, aut catellam, aut felem, aut si mauis talpam, vel murem, quod minutißimum est animal: atque adeo pulicem, omnesq́; animantium formas, tuæq́; te rursum figuræ possem reddere, et inuisibilem facere. Verum si te in canem conuerto aut felem, cum minime esset commodum, aut baculus aut fustis incuteretur tibi. CAM. Non oportet sane: immo nec talpam, nec murem, nec pulicem me volo fieri: vel leuißima læsione extingui poteram. NEC. Sapis quidem mea sententia. CAM. Inuisibilem me Hercle vellem mitteres illùc. NEC. Oportebat ad manum esse nobis Heliotropium hærbam, eamq́; sale consperſam prius in sole suspendi, verum non tantum suppetit temporis: tametsi iam efficiam inuisibilis illuc vt eas, non solum humanis oculis sed Solis ac Lunæ, qui intuentur omnia. CAM. Itaque inuisibilem me illuc mittes? NEC. Certo quodam modo: verum alio quam tu cogitas.

tas. CAM. Fac intelligam obſecro. NEC. Incluſum theca volo te illùc mittere. CA. Incluſum theca? NEC. Sane vero: quid dubitas? Tu non credis ſcire me facto quid ſit opus. Ego affirmabo thecam illam magicis quibuſdam refertam ſacris, ibidemq́; Genios ac malos includi Dæmonas, quam ſi quis manu contigerit, cõflagraturus ſit illico. Nemo itaq; vel è longinquo audebit aſpicere, præter vnam Æmiliam et eius nutricem, quæ noſtri erunt conſciæ conſilij. CAM. Quid tum poſtea? NEC. Omnes vbi domi ſomnus oppreſſerit, nutrix ad te veniens, teq́; è capſula educens, ſine periculo, iuxta Æmiliam ſtatuet. Quid tu mœſtus, quid timidus eſt? Quaſi ego vero te in præſentaneum mittam periculum. CAM. Non hoc ſat tibi videtur magnum? NEC. Væ mihi, cur diffidis homini qui te amat? Qui te in hunc prouexit locum? Qui omnem ſuam operam et artem in te iuuando collocat? CAM. Non aliter hoc poſſet fieri quam ſi me in theca incluſeris? NECROM. Poterat ſane: verum non

tam breui. CA. Quid si biduum differatur negotium? NE. Per me quantum velis licebit. Vtinam id ferret Æmilia: verum pati non potest. Crede mihi si hoc non facis illã apud te domi hac ipsa nocte inuenies. CA. Priusquam id patiar me in fornacem ardentem immisero, nedum in thecam: tuæ me commito fidei. NE. Dic mihi num cubiculum tuum ad oriẽtem patet? CA. Arbitror. NE. Bene habet. Nam hac mihi nocte ibidem est peruigilandum. CAM. Quorsum istuc? NE. Recitãda mihi sunt magica quædam cãtamina, vt omnes de te suspiciones amoliar. Verum tu famulis imperato omni mihi in re præsto sint, quos necesse est aliò atque aliò a me amandari. CA. Vt lubet. NE. Verum heus tu nõ licet modo ociari. Abi, ac thecam quære ad eam rem aptissimam, ac me domi mane. CA. Est ne aliud? NE. Nihil sane modo. GE. Vix hoc pulmẽtum sublatum è mensa est, cum alterum tibi aduenit. NE. Optato sane aduenit, hoc ingluuies mea expetit: tu pocula instruito et me specta.

SCÆ-

SCÆNA QVARTA.

EVBVLVS. NECROMANTICVS.
GETA.

EVBVLVS.

O Magiſter,in tempore te ipſum quære bam.NE. Et ego te. EV. Omnia eſſe inſtructa domi , veneram nuntiatum tibi. NE.Ego vero bilem apud te meam vt euo merem.Nam ſcito me eſſe ſubiratum tibi, ac voluiſſe rem tuã miſſam facere: cõpreſsi tamen bilem. EV. Quidnam rei eſt? NE. Per Iouem te non oportebat pati Eubule, vt tui de me detraherent domeſtici clamã- tes,me ſycophantã eſſe.EV.Quid ais?NE. Petiuiſſe me in cænam vitulum.EV. Quis nam iſtud dixit?NE. Tum et ſcyphos argẽ teos, vt hinc auolarim aliò. EV. Non hoc mihi dicis à quo audieris?NE.Ego ſcio me pecuniæ Regiæ apud Hiſpanos præfectum fuiſſe, cumq; millia talẽtorum mihi eſſent commiſſa,nunquam tamen pecunia fidem coegit fallere.Nunc me pondo duarum vn

ciarum ſcypis oportebat ſcilicet corruptũ iri. EV. Non hoc tu mihi dicturus es a quo audieris? Iam Hercle faxo. NEC. Non eſt meum cuiquam detrahere, aut lites ſerere. EV. Non minus dolet quam ſi mihi illata eſſet iniuria. NE. Mitte modo, infectũ eſſe iam non poteſt, nõ me maledicæ linguæ ab officio auocabunt. EV. Facis quod homine probo teq; dignum eſt: et ego gratiam referam. Vitulum ego iam peti iuſsi ex armento, ac miror quod allatus iam ad te non ſit. Scyphi ex argento puriſsimo parati ſunt tibi, iube peti vbi velis, ac ſi quid eſt apud me aliud, quocunque velis abducito, quo tu ſis ſciẽs: an mihi ſuſpecta ſit tua fides. NE. Habeo gratiã; verum ita tibi meam præſtabo operã ne locũ maledicendi relinquam iſtis blateronibus, atq; vt intelligant non me voluiſſe deuorare vitulũ, vt illi dictitabãt, domi tuæ apud te quæ peragenda ſunt mihi ſacra volo peragere. Nam et pluribus rebus erit opus, quas nolo iſti ſuſpicẽtur velle me intercipere. Tantum doleo hoc diutius protrahi quam oporteret negotium. Nam ſi

ad me argẽtei ſcyphi allati iam fuiſſent, iã ego illos luſtralibus quibuſdam expiaſſem ſacris, et ſequenti mane totius rei tibi exitum prædicerem. EV. Sume illos quamprimum velis, et quocunque velis abducito. NE. Immo tu illos ad me per famulum mittito, qui non inde diſcedat, donec illos conſecratos ſecum referat. EV. Ego ad te mittam, tu vt libuerit remittito, ac vide vbi ſacra velis peragere, meæ ne an domi tuę: vbi viſum ſit tibi commodius. NE. Domi tuæ malo: primum hac cauſa, qua dixi tibi, deinde vt tu ipſe audias è cadauere vocẽ narrantem ſingula, quod tibi erit mirabile. EV. Placet ſane. NE. Eam ob rem thecam ad te domum volo mittere, quæ inſtar eſt altaris, quam tu iuxta imum lectum genialem vbi ſponſi cubant collocari facito: eiuſmodi intus ſunt ſacra ea vi ac potentia, vt vel ſi nouercale inter eos eſſet odium, miro tamen eos amore deuinciret. Poſt mane vbi confectum fuerit induſium, ea in tuo conſpectu me videbis facere, quæ tu ſat ſcio miraberis. EV. Vt libuerit. NEC. Verum

heus tu vide ſis:admoneto tuos ne quiſquã illam capſulam contingat manu, aut loco moueat. Quidam ſtultus cum quo mihi res erat, non eſt veritus huiuſmodi quædam ſacra, quæ ego aſſeruanda dederam manibus contingere, quid autem illi euenerit iſtum roga. EV. Age dic. GE. Conflagrauit protinus miſer. NE. Atq; ita conflagrauit, vt mihi liberũ non fuerit ſubuenire homini. EV. Bene Hercle feciſti, quod me admonueris. NE. Modo ne aperiant, contingere non eſt periculum. EV. Eſſet me Hercle inſanus, qui aperire tẽtaret. Idq; omnibus meis edicam domi vt ſibi caueant. NE. Ego igitur redibo domum ac tibi illam mittam, tu collocari vt dixi facito. EV. Ego domi ſpectabo, tu afferri iubeto, in ipſius Cynthij concludam cubiculo, et ipſe pro foribus excubabo.

SCÆNA QVINTA.

GETA. NECROMANTICVS.

Au-

AVdax Hercle incœptum quid tu futurum speras. NE. Quid aliud, quam vt hęc pecora deuoremus singula, qui cum auro et serico onusti incedant, nihil habēt hominis præter faciem. Iam primum Eubulo scyphos argenteos extorquebimus: Cynthio septuaginta tres aureos: Camillum vero sic depilatū glabrum ac detersum relinquam, vt nō sit magis speculum. Modo me in eius cubiculum cōtrudam, eumq; in theca inclusum hùc tibi per baiulum deportādum dabo. Ipse interea omnes alio atq; alio amandabo famulos, ne dum ipse euerram domum me obseruent: clanculum interea thecas omnes, loculos effringam et armaria, quidquid erit auri, argenti, preciosæ vestis compilabitur, et quidquid præterea est supellectilis. Cumq; cuniculum fécero tu foris astabis in via, ego superne è fenestra mittam exportandas exuuias. Iustus vbi cumulus accreuerit, onusta bene naui faciemus vella. Interea Camillus qui theca inclusus expectabit nutricem, satis nobis ad moliendum fugam ocij dabit. Neque Eubulus

neq; Cynthius prius rem compererit, quã nos quatuor aut quinque cõfecerimus millia. GE. Quid tu porrò de Camillo credis futurum? NE. Quid tu malum me hic credis curare? Eat in malam rem aut in coruos. Deprehendetur haud dubie in theca, vel furti vel adulterij, insimulabitur. Tametsi enim nullus aperiat thecam, vbi spiritum continere non poterit et fame cruciabitur, clamabit necessario miser, et sua se prodet voce, ni fame malit emori. Quanto maior tumultus et turba domi fuerit, tanto nos fugiemus tutius. Sed modo eamus iam in eius domum vt theca hominem includamus. GE. Eamus. Ego te sequor.

Actus quarti, Scæna prima.

CHREMILLVS. THEMVLVS.

HOc tibi persuade me non daturũ obolum, ni prius periculum fecero, et vide

ro aliquod operæpretium. Sed eccum The mulum. THE. Recte coniectasti Chremille, inconsulte a nobis factum cum Cynthio consuluimus, animum vt suum aperiret Necromantico. CHR. Non hoc prædixi tibi? Quid noui est? THE. Non aliud molitur perfidus quam vt Cynthij animum à vostra Lauinia auertat, et ad hãc Æmiliam transferat. Modo ab Eubulo cum digrederetur, dixit missurum se quandam siue thecam siue armarium quod dicit esse veneficijs plenum: vt secus lectum genialem collocatum, mirabili quodam amore Cynthiũ erga Æmiliam deuinciat: tametsi antea capitali se insectarentur odio. CHRE. Quando dixit se missurum? THE. Miror iam allatam non fuisse, quamprimum venisset domum. CHR. Ille per Iouem egregie nobis verba dedit. O perfidiam. TH. Sceleratissimam. CHR. Sed nos longe stultiores, qui illi viam aperuimus nocere vt posset, quá nunquã ille inuenisset, si nos tacere potuissemus. TH. Nunc igitur vbi non tacuimus quid faciendum putas? CHR. Quærendus no-

nobis est Cynthius et commonefaciendus, quid malum ego scio. Verum est ne ille domi? THE. Non. CHR. Nosti vbi sit? THE. Multo minus. CHR. Atqui oportebat illũ vbicumq; esset vestigari, Lauiniam dolore vt leuet, quæ se lacrymis ac mœrore conficit, vt mihi videatur in fletus contabescere. Quamquam ego huius mali causa iam hodie extiti qui dixerim suspectũ mihi esse hũc medicum, ne qua arte nefaria Cynthij animum peruerteret. THE. Ah, Imprudẽter abs te factũ, redito, et deme illi hoc metum, nec tam esse periculosum hoc negotium, quam tu putabas. CHR. Alio illi leuamento est opus. Nisi Cynthium illa viderit, nunquam recipiet animum. THE. Abi igitur ac quære. CHR. Ibo in forum. THE. Abi. Fieri potest. Verum audi: hospitium versus Necromantici contendito, obuium habebis fortasse. Verũ quid tu redis tam cõcitatus? CHR. Me miserum, iam affertur theca quam tu dixeras. THE. Vbinã est? CHR. Eho dum ad me, viden tu illam? THE. Quis portat? CHR. Baiulus. THE.

Solus?

Solus?CHR. Necromantici seruulus illum comitatur. THE. Quid ipse Necromáticus aduenit? CHR. Minime. THE. Is nõ aduenit? CHR. Non inquam. THE. Mitte modo me facere. CHR. Quid tu vis facere? THE. Iam scies. Vide tu subseruias fabulæ, et ad rem respondeas. CHR. Quid ais. Verum quem ego alloquor? Quò malum iste se proripit, quò fugit? Ego illum delirare arbitror.

SCÆNA SECVNDA.

THEMVLVS. CHREMILLVS. GETA. BAIVLVS.

THEMVLVS.

O Terram sceleratam. CHR. Quid mali iste vociferatur. THE. Iam hic per Iouem non licet viuere, omnia plena sunt insidijs. CHR. Quid tu clamas? THE. O proditores. CHR. Quis te læsit? TH. O hominem infelicem. CHR. Tu mihi Herclè videris. THE. O Chremille, summam miseriam.

ſeriam. CH. Quid miſeriam? THE. O ſum mũ infortunium, nõ potui cõtinere lachry mas commiſeratione. CHR. Cuius? THE. infelicis cuiuſdam hoſpitis, quem hoc ipſo momento cadentem aſpexi ſceleratiſsimi cuiuſdam vulnere quod in capite inflixit, cum illum ex inſidijs obſeruaret, ad iſtud angiportum. CHR. Quid hoc ad te? THE. Amabam hominem, qui domi noſtræ erat notus et familiaris. Noſtine illum? CHR. Quid ego norim niſi tu dicas? THE. Chal dæus ille qui ſe profitetur aſtrologum, quem nos vocamus Necromanticum. GE. Miſerum me quid tu narras de Necromantico? THE. Atqui tui ego non eram oblitus. Non tu eius famulus es? Herus tuus atrociſsime vulneratus iacet: ego credidi occiſſum: ſicarius quidam ſceleratiſsimus illum a tergo inuaſit. GETA. Væ mihi. THE. In ipſum cerebrum immiſit alte gladium, vndique accurritur. GET. Oſtẽde mihi obſecro vbinam ſit. THE. Totum hunc vicum rectà percurrito, ex aduerſo anguli ſiniſtrorſum flectito, cum ad diui

Dominici perueneris, redito dextrorſum, ibi rogato aliquem quæ ſit via ad diuerſorium Bubuli. Sed quid ego te edoceo? Turbam ſequere, omnes cò confluunt. GET. O Iupiter. THE. Iam credo illum exanimem inuenies. BAIV. Quò ego iſtam thecam ſum illaturus? GET. O infelicem herum, ſat ego prædicebam tibi. CHR. Quæ eſt iſta febris quæ te tam inopinato corripuit? Quò te tu proripueras? Nunquid ſomniaras hanc fabulam? BAIV. Eat ille in præceps, non ego me illum inſectando conficiam. Quo iſta theca erat intromittenda? Oblitus ſum quî vocatur. THE. Hoc ego iam dicam tibi, non tu Eubuli domũ petis? En tibi fores, te exonera. BAIV. Eubuli? Bene habet: ita res eſt. Vbinam eſt deponẽda? THE. Tu illi præi quò herus iuſſerat, iuxta lectum Lauiniæ. CHRE. Lauiniæ? THE. Oportebat te intellexiſſe. CHRE. Iam Hercle intelligo. THE. Tu iſtum hominem continuo dimittito numerata pecunia, ego Cynthium hinc quæſitum eo.

SCÆ-

SCÆNA TERTIA.

CYNTHIVS. THEMVLVS.
CHREMILLVS.

CYNTHIVS.

PRodieram quæsiturus et inueni tãdem medicum:verum a me non habebit te-runtium priusquam me isto expediat malo. Quamquam quo magis cogito nulla facilior videtur via, quam Æmiliam adulterij suspectam fieri. THE. Sed eccum eum ipsum per louem. CYN. Atq; hoc ille mihi persuadere nititur, nihil esse periculi aut turbæ, neque pertimescendam infamiam. Verum ego in ancipiti malo hùc atq; illùc defferor, nec scio quid faciam. THE. Cum minime est opus te nobis subtrahis. CYN. Quid mali est? THE. Nisi properas iam tu Lauiniam prope exanimatam offenderis. CYN. Dic mihi quid rei est? THE. Metuit scilicet misera, ne iste maleficus aliqua arte animum peruertat tuum. Itaq; in lachrymas dissoluitur vbertim flens. CYN. Ah,

n oli timere. THE. Immo reuera eius vitæ timendum est. CYN. Ego ad illam adeo. THE. Abito, sic Dij te amet. CHR. Quid, audistin de Lauinia. CYN. Iam intro eo.

SCÆNA QVARTA.

CREMILLVS. THEMVLVS. BAIVLVS.

CRHEMILLVS.

NOn potuit improuiso malo celerius occurri, aut melius. THE. Soluito huic, atq; illum dimitte, ac longius amandato. CHR. En tibi tres obolos, tua mihi opera est vtendum. BA. Qua in re? CHR. In forũ tibi est eundum, ac deinde transeundum ad portam Romanam, prope habitat ærarij quæstor, nostine illum? Adito, et rogato illa dolia vinaria de quibus heri dixeram, tibi tradat huc portanda. BA. Tam longe? Duo millia esse arbitror. CHR. Sunt vel sex: propterea mercedem accipis. BA. cuius nomine rogaturus sum? CHR. Dic te a procura-

torc Eubuli missum. BA. Eo. CHR. Ito tā longe ne vnquā posthac mihi obuiam reddeas. Nunc audi Themule: si eiusmodi sunt hæc veneficia quæ prodesse feminis queāt, quarum admouētur lectis, id profecto totū conferet nostræ Lauiniæ, et non quēadmodum Necromāticus volebat Æmiliæ. TH. Dicis id quod res est. Sed si mihi homini fatuo vis auscultare. CHR. Quid vis? THE. Eamus intro, et capsulam istam in frusta concidamus minutatim, atq; ita terræ infodiamus, aut cōburamus, ne vllum extet vestigium. Vt si deinde repetatur, atq; hūc famulus cum Baiulo redierit, respōdere liquido posśimus, illum mentiri ac delirare, ac libero aditu vestigari totis sinamus ædibus. CHR. Ah, periculum est ne tota corrueret domus. Nam pro certo habeo spectris el laruis illam refertam esse. THE. Tu his nugis fidem habes? O hominem credulū: ego præstabo periculum, tu mihi securim dato, iam tibi euolare faxo istas laruas vnà cum assulis. Sed iam famulus Necromantici reuertitur, tu aliam illi offam in os conijce, at

que istinc abige, ego intro iam ibo, atque id equidem faciam, ne vnquam posthac reperiatur capsula.

SCÆNA QVINTA.

GETA. CHREMILLVS.

DIj boni, quàm multi reperiuntur hoc ingenio homines, qui cuiuis gaudēt vltro facessere negotium: idq; nullo suo commodo. Tametsi me vnum incusare debeam, qui cum me vulpem esse iactitem, ab hisce iumentis me deludi sim passus, qui me sursum ac deorsum, per totam exercuere ciuitatē. Operæpretiū autē erat me videre hùc atque illùc discurrentem, quasi lymphatum clamantem, atque eiulantem, et rogantem singulos, ecquis nosset herus meus vbi iaceret vulneratus ac seminanimis? En tibi cum minime cogito, inclamantem à tergo audio: flecto caput, aspicio illum saluum et incolumem, non secus ac reliqueram. Rogat ille an capsulam in tuto fecissem collocari. Ego

vix poteram vnum reddere verbum prę lætitia. Narro ab isto nebulone quę passus sim ludibria. Ille me cachinno ridens effusissimo, vt dignus eram, hùc me remisit increpans, quæsiturum capsulam quam ego per imprudentiam in media reliqui via. Neq; in mentem venit baiulo vt dicerem, illam in Eubuli introferret domum. Hùc igitur atque illuc circumspicio. Apparet nusquã. Quò malum ille se recepit stolidus? Verum illum video senem qui tum astabat, eum rogabo. Heus tu vbi ille bonus vir qui sic me toto exagitauit oppido? CHR. Minime mirum, nam præfectus curandis cũ sit æquis, Asturconẽ te putauit, experiri voluit quã esses ad cursum alacer. GE. Quod illi bene vertat. Næ ille haud inultum feret. Verum vbi est ille baiulus qui hic cum theca relictus est? Nostine? CHR. Cum paulisper dubius constitisset quò illam introduceret, tãdem viam arripuit curiam versus, hàc se cõiecit. GE. O mastigia, monstrum hominis. CHR. Poteris consequi si properas, propera curre, tuum erit brauium. Verũ non hic

est Calliodorus quem venientem video? Quantum hic habet pecuniarum sordidus senex.

SCÆNA SEXTA.

CALLIODORVS, CHREMILLVS. CAMILLVS.

CALLIODORVS.

HOc vero iam ferri non potest, quod in ore sit toti populo hæc fabula. Nam si quid acciderit mali quod est factu facile, in me recidet atq; Eubulum, cuius cõsilio hoc magicum paratur sacrificium. Et vt est hominis stultitia pharmacopolas et Caldęos accersit sibi. Atq; his præstigijs fidẽ habet quis ne credidissent pueri. CHR. Hũc ego si in bello cœpissem, non prius emitterem, quam sex millia ab illo aureorum exprimerem. Sed quæ isthæc tanta turba est? Quis strepitus? Hic fortasse sceleratus Themulus me perdidit, qui effracta capsula domũ impleret laruis. Sed quis iste est adolescẽtulus

qui hūc seminudus prodijt tam concitatus? Est ne Camillus? Quid ille rerum agebat intus? O Iupiter quando ille hūc introijt? CAM. O malum insperatum, o summum periculum, summum inquam quod ego pene subij modo. Cui posthac fidendum est, si qui á me beneficijs deuinciuntur quosq; ego conciliatos existimo, CHR. Quid iste vociferatur? CAM. Hi me per summā perfidiam produnt? O diuinam prouidētiam, quæ me tantam ignominiam, tantum periculum subire nō est passa: quæ mihi aperuisti insidias. Nunc iuuat recordari quam pene vitā amiseram. CHR. Haud dubiè hoc magnū aliquod malum est. CAM. Sed vnde aut clamidem aut palliolum sumam, ne ita inuerecunde seminudus in publicum procedam, ac me cōtinuò ad Calliodorum conferam? CAL. Quis ille est qui me nomi nat? CAM. Vt ex me intelligat, id quod ad perpetuam notam, ludibrium, ignominiā, eius filiæ, ac totius familiæ, CAL. Iupiter. CAM. Ab his proditoribus parabatur. CAL. Mihi videtur Camillus. Quid rei est?

CAM. O Calliodore, alium quam te non obtabam mihi dari. CHR. Fieri nō potest, quin aliquid spectati acciderit mali. CAL. Quid tu Camille, quid tam expeditus et succinctus es? Videris cursu velle contendere: alium concertatorem tibi quære: ego nō sum iam id ætatis. CAM. Tu iocaris Calliodore: atqui ego non ludo, immo verò illi te ludunt, qui honorem tuum ac filiæ tuæ ludibrio habent. Nescis istum bonum generum tuum vxorem hac habere in domo? Sed nos ingrediamur aliquò, me pudet sic esse in publico. CAL. In domum Eubuli. CAM. Maxime. Nemo est omnium quem ego præsentem malim. CHR. Themule, Themule, heus Themule, hosce asectare à tergo, et obserua quid loquātur. THE. Mane, mane, iam prodit Cynthius.

SCÆNA SEPTIMA.

CHREMILLVS. CYNTHIVS. THEMVLVS.

CHREMILLVS.

CYnthi quid hoc mali eſt? Quid ille ſibi volebat intus? CYN. Neſcio: niſi aduerſos mihi fuiſſe Deos omnes. Quis illam thecam malum intulit? Aut quis cõſuluit? CHR. Ego ac Themulus modo illam fecimus introferier. CYN. Tu ac Themulus me miſerum perdidiſtis, et ſpes meas diſturbaſtis, et Lauiniæ: quodq; hactenus optime celatũ fuerat, peſſum dediſtis. Quãobrem obſecro? CHR. Vt iſtius Necromantici impediremus conſilia, qui nihil aliud niſi pernitiem moliebatur tuam. CYN. Cur ſaltẽ non me præmonuiſtis? Cur non verbum dixiſtis? Ne tantum imprudens ſubirem periculũ. Vos reuera vos mihi moliti eſtis perniciem, nõ Necromanticus. Latebat in theca adoleſcens, quẽ ego credo vt res iam ipſa indicauit. Lauiniæ molitum inſidias. Quod ſi palàm fit, quod ego iam credo, eò res adducta eſt, vt me ſit ſatius emori. Agè, quò Camillus abijt adoleſcens qui hinc prodierat? Illi ſupplicabo, illi me dedam, atq; addicam in perpetuam ſeruitutem, vt ſi optine-

ri

ri ab illo poſsit id apud ſe contineat, quod modo de me comperit. Quamquã ſat ſcio ille mihi infenſus iampridem eſt, iuſtis de cauſis. CHR. Sero ſapis. Vix ille domo prodierat, cum obuium ſibi Calliodorũ nactus, vix prę bile et ſtomacho cum poſſet eloqui, ſummam rei aperit. CYN. Nemo eſt tam omnium miſerrimus, cum quo nõ ego fortunam cõmutarim. Haud dubium eſt iam hoc ad ſenem permanaſſe. CHR. Proculdubio ad illum vnà Camillus et Calliodorus, accurrerant. Haud dubita iam illos denarraſſe omnia. CYN. Ad Eubulum accur rerant? O Iupiter quid nõ dehiſcis terra ac me viuentem deuoras. CHR. Quid malũ ſic deſpondes animum? Ac nõ potius rationes omnes colliges? Si quid eſt conſilij, ſi quid auxilij cogitas? CYN. Nihil eſt cõſilij auxilij nihil, niſi vt me hinc aliquò præcipitem dem, aut arripiam fugam, priuſquam iracundiam ſuſtineam ſenis. Tu vale Chremille, ac meam tibi committo Lauiniam. CHR. Ah, ignauiſsime quo abis? Effugit ille per Iouem. Tu Themule domũ abi et ex

plora diligenter quid venerit, ac me continuo edoce. THE. Eo, tu me intus mane.

Actus quinti, Scæna prima.

EVBVLVS. CAMILLVS. CALLIODORVS.

EVBVLVS.

SI iam id ego verum deprehendero, huiusmodi in illos exemplum statuam, vt quiuis intelligat quam non leuiter tulerim. Ad me non minus quam ad vos hæc iniuria pertinet. CAM. Si vel paulum quid aliter deprehenderis, omnium me sceleratissimum et impudentissimum qui viuunt dicito. CAL. Hunc si noris Eubule, existimes, neque posse neque scire quicquam fingere: id est ingenium hominis. Existima eiusmodi rem esse quam neque impunitam, neque leuiter punitam, esse oporteat. EV. Ne tam iracunde o Calliodore, sine

prius rem ipſam inſpiciamus. CAM. Vnde tu cognoſces melius quam ex me, qui et hiſce audiui auribus, et his inſpexi oculis? Parta eſt illi vxor et liberi, te inuito Eubule. EVBV. Volo adhuc mihi ſatiſfacere. CAM. Eamus vnà intro, et ſi quid aliter repereris excindi mihi linguã, et erui oculos volo. EVBV. Eamus. CAL. Eamus. EVBV. Iam hoc ſciri poteſt. Sed vos quæſo hîc manete: interim, neque tumultuemini: ne priuſquam nobis res comperta ſit efferatur in vulgus, et nos noſtræ ſimus præcones ignominiæ. CAL. I iam intro: vbi viſum fuerit nos euocato, hic manemus pro foribus.

SCÆNA SECVNDA.

GETA. CALLIODORVS. CAMILLVS.

GETA.

EGo me hiſce hodie nebulonibus pilam videri arbitror, qui me hùc atque

illuc iactant, modo in forum eiaculantes. CAL. Fuit me Hercle magna stultitia, q te sic temere commiseris includendũ capsula, et deportandũ quolibet. GE. Redeo, en tibi alius presto est, cum alia fabula. CAM. Stupeo atq; hæreo, id ipsum cogitans. GE. Hic presto adest qui me mittat in curiã, ille qui retorqueat. CAM. Hoc ego partim adscribo stultitiæ meæ, partim diuinæ prouidentiæ, quæ sic me voluit insidias deprehẽdere, quæ vtrique parabantur nostrûm. Verum en tibi vnum ex his qui me inclusere capsula, quiq; tuæ insidiabantur filiæ. GE. O per Iouem adolescẽs hic est, quem inclusum modo reliquimus. CAM. Furcifer, latro, plagiarie, sycophanta, siccine eos accipitis tu ac tuus herus, qui se vestræ cõmittũt fidei? GE. Nec ego nec herus aliud quã gratificari studuimus tibi. CAM. Enimuero pulcherrima gratificatio: si me vel in adulterij vel furti suspicione, aliena in domo, fecissetis deprehẽdi. CAL. Res adeo vobis di gnavisa scelestissimi, honestas domos hisce maculis polluere? Nullus pudor nulla fides est?

est? GE. Huic dicito qui respondebit tibi. CAM. Respondebo Hercle furcifer, neque celabo quidquam. Te vero respondere hæc atq; alia scelera, verbera et laminæ efficient. GE. Perge si tibi pulchrum videtur, adeo insectari hospites. Sat scio meus herus rationem vobis de se reddet. CAL. Missum illum facito. CAM. Abi modo in malã rem furcifer, quò dignus es. CAL. Mitte illum, ac bilem comprime, oportebat te iam introduci ab Eubulo. Verum quid hoc est? Ipse huc prodit, et vt videtur lætitia gestiens.

SCÆNA TERTIA. Et vltima.

THEMVLVS. CALLIODORVS. CAMILLVS. EVBVLVS.

THEMVLVS.

O Me fortunatum, o me fœlicem, o fors fortuna, quid ego tibi voueam, quæ tãtas turbas ac tempestatem in placidissimã quietem, et iucundissimam sic subito conuerteris? CAL. Quid iste lætus est? THE.

Quò ego hinc currã, quò euolem, vt Cynthium inueniam? CAL. Quid iste vult sibi, nescio Hercle. THE. Vt nũtium ad illum deferam, omnium optatissimum. CAL. Quid est? THE. Lauinia inuenta est Eubuli filia. CAM. Intellextin? CAL. Quî potest fieri? THE. Verum quid ego cesso Cynthiũ quærere? CAL. Vxorem ille nunquam habuit quod equidẽ sciam. CAM. Solent ex alijs fœminis iam vulgo parati filiæ. Verũ certum eum ipsum ex quo intelliges. Deprehendisti ementitũ me aliquid Eubule? EV. Nõ per Iouem. Nũc tu amicissime Calliodore audi iam. Per tuũ ego te ingeniũ mansuetissimũ, per humanitatem tuã, per istã dexteram et nostrã amicitiam oro atq; obsecro, Cynthio vt ignoscas meo: si eius ætas digna est visa cui ignoscatur tamen. CAL. Tandem cõperisti Eubule, aliam sibi vxorẽ quæsiuisse Cynthium? CAM. Dubium nõ est. EV. Non magis hoc adolescentis temeritati quàm diuino consilio, cui visum est hanc statuisse mihi viam, reperiundæ filiæ, quam annis ab hinc duodecim quadrienẽ

amiſeram:neq; poſteaquam amiſſa eſt verbum de ea comperi. Nunc qua in re pertimeſcendum fuit, ne me grauiſsime offendiſſet Cynthius clam ducta ſine me vxore, ea ipſa in re ſummā iniuit à me gratiam. Nam neq; alium generum quam ipſum chariorem mihi optare, neq; vxorem illi dare magis ex animi ſententia, quam gnatam meā potui. Verum iſtud meum gaudium tuus interturbat Calliodore dolor. Cuius ſi gratia et venia hoc poſſet fieri, exiſtimarē nihil accedere poſſe lætitiæ meæ. Quod ſi à te id impetrare poſſem, vt hanc meam fœlicitatē æquo ferres animo, neque his aduerſarere quę diuinitus videtur geri, ac velles tuā ad te filiam domū reducere, tam virginem et illibatā quàm erat ante nuptias, cui tu maritum facile reperies non minus locupletem ac nobilem, hoc inquam ſi tu faceres, haberetur à me tibi ſempiterna gratia. CAL. Quam ego te à pueritia et amarim, et coluerim ſemper Eubule, non alium quam te adhiberi teſtem volo. Id cum in præſentia faciam, idemq; ſim;

ac semper fuerim, Deus nouit optimus maximus, quem latere nihil potest. Hoc autē si dixero mihi molestū nō esse, has distrahi nuptias, et ad me gnatam reducere, non diçam sane id quod res est. Tametsi enim aut in Cynthio, aut in illa iusta ignominia locū non habeat, opturari tamen vulgi ora non possunt, quin pro libidine rumores disseminēt, quod ad inueniendam aliam conditionem, longe erit quam tu credis incommodius. EV. En tibi præsto adest gener qui et honestus et nobilis est: bene lauta re; qui moribus est et ingenio candidissimis, qui illam plusquam seipsum amat, et haberi expetit. Quam tu meliorem conditionem inuenies? CAM. Vt tibi Dij omnes Eubule bene faciant. CAL. Ille vbi idē dixerit respondere sciam. CAM. Dico esse mihi supra quam dici potest optatum; idq; te oro ex animo Calliodore ac supplico, mihi illā vt despondeas lubens. CAL. Ego despondeo sane. CAM. Et ego nō inuitus accipio. EV. Quod fœlix faustumq; sit: Dij approbent cōiugium. CAM. Vide ratū hoc sit. CAL.

Ratum.CAM.Quam gaudeo.CAL.Modo Eubule si videtur fac intelligam, quinã sit isthæc tua filia:vnde sustuleris, vbi latuerit tandiu, quibus demum indicijs id hodie deprehenderis? EV. Dicam si auscultare libuerit. CAL. Et valde quidẽ. EV. Cum primum Veneti Cremonam occupauere, ego proscriptus quod arcem dicerer prodidisse Theutonibus, nosti quemadmodum in exilium abierim. Neq; quandiu ab illis patria optinebatur, de me quidquam apus vos cõperti fuit. Hoc toto tempore in Calabris latui, in oppido sane non magno. Et quo tutius degerem, in humili et obscura cõditione, alio me nomine Anastasium appellari faciebam, patria Alexandrinum. Interea cũ vidua quadam ciue consuetudinem habui. Quam vel quod eam amarem, vel quod mihi solitudo esset grauis, vel quod rei cura habenda esset, vxorem duxi, atq; hãc sustuli puellulam. In hoc silentio cum nuntiaretur vndiq; Gallos Pontifici coniunctos, et Cæsari, infetre bellum Venetis. Ego spe recuperandæ patriæ hũc veneram. Ne tamen

hùc cum venissem si res ita ferret, occluderem mihi aditum ad repetendas latebras Liuiæ,(Sic enim vxor vocabatur mea,) dixi me reuerti Alexandriam curandæ scilicet rei gratia,quam acceperam à cognatis occupari meis. Quod si euenisset ex sententia mihi non esse in animo, amplius degere in Calabria. Itaque me illam repetiturum, aut missurum qui hoc magna cum fide faceret. Tunc anulum diuisi, atque illi dimidium tradidi, mihi seruaui alterum. Ne cui se deducendam committeret, qui illi non ostendisset hunc alterum dimidium. Itaq; hùc veni, cumq; bellum longius opinione traheretur mea, vix quindecim per menses, rebus hic compositis et recepta patria, illuc reuertor: ipse scilicet per me vxorem vt traducerem. Cõperi eò cum venissem, illam cum sex menses vltra condictum spectasset diem, neque de me quicquam certi audisset, vt solent fœminæ quæ libidini magis quam rationi optemperant, discessisse me inuestigandi gratia, diuendita domo, atque his rebus, ægrè quæ asportari

pos-

possunt. Hoc ego cum audissem, male me habens, cursu citatissimo contendi in Alexādriam. Comperi fuisse ibidem vnà cum parua filia, et de quodam percontatam Anastasio. Cumq; nullum reperisset vestigium, ad Calabros hinc rediJsse. Celeriter ego illuc rursum redij, passimq; nuntios mittens et literas, per totam Italiam pene innumerabiles, nullum hisce duodecim annis vsquàm comperi vestigiū. Modò cum huc irrupissem, huius turbæ causa fremens, ac frendens, irato vultu, verbis minacibus, senex qui intus est ad genua mihi accidit, supplicans et obsecrans. huic ignoscerem puellæ, quæ non obscuro è genere vt ego putabam, sed nobilibus esset orta parentibus. Ego igitur cum de parentibus rogassem; intellexi Anastasium Alexādrinū illi esse patrem, qui multo tēpore degisset apud Calabros, ibiq; vxorem duxisset, et sustulisset filiam..

CAL. Ego te prudētem esse hominem scio Eubule, nolim Cynthius hanc historiam

cum nouerit,illamq; denarrarit intus,modo te isto commento placandũ putet. EV. Quî potest Cynthius scire,cum ego nunquam cuiquam verbum fecerim?Neq; dili gentius arcanum vllum celatum sit. Nam mihi religio erat de vxore loqui,quam nescirem vbi esset gentium.Sed innumera cõ gruunt indicia:monile ad collum deprehẽ di,quod matris fuerat:tum et ipsa vestes et aurũ mihi protulit, quæ matri me donasse memini.Sed in primis dimidium illũ anulum quem ego reliqueram. Verum si faciẽ videris dubitare desinas,sic refert matrem, vt nihil Calliodore posit esse expresius. CAL.De matre nũquid illa narrat aliquid? Aut dicit factum quid sit? EVB. Maxime. Sed et isti narrant matrem cum à Alexandria rediret in Calabriam, iter fecisse per Florẽtiam,ibiq; morbo grauem ad Erutiũ diuertisse,qui fuit maritus huiusce viduæ, illamq; morti proximam,hac illis paruulã commendasse filiam,quam dehinc pro filia eduxerant.Cumq; hũc migrasset è Florentia,secum abduxisse,et mutato nomine

quæ

quæ diceretur prius Candida, vocasse Lauiniã. CAL. Lætor me Hercle tuo isthoc successu Eubule. CAM. Et ego sic me Dij ament. EV. Habeo vobis gratiam. CAM. Nunc, quid reliquum est? CAL. Vt illã ducas vbi velis. CAM. Quin potius si lubet fiat protinus. EV. Despondeatur, æquum postulat. CAL. Fiat. EVB. Eamus intro. CAM. Eamus. THE. Vos nolite spectare modò donec Cynthius exeat, per posticũ ingressus est, clanculum intus transigetur, quod est reliquum. Valete et plaudite.

Finis.

Perſonæ.


GETA.	Seruus.
FLAVIVS.	Adoleſcens.
LENA.	Vxor Critoboli,
LIVIVS.	Senex.
HILARIVS.	Senex.
HEGIO.	Senex.
CRITOBOLVS,	Maritus Lenæ.
FLORVS.	Puer.
GALLONIVS,	Decempedator,
GRANIVS.	
IVLIANVS.	
CHARINVS.	
CÆPASIVS.	Lictor.
PEDVCEVS.	
LONGARENVS.	
CYNTHIA.	Famula.
LIGVRINVS.	
CALFVRNIVS,	
SANIO.	Seruus.

IOANNIS Petrei Toletani,

COMOEDIA LENA.

Actus primi, Scæna prima.

GETA. FLAVIVS.


Nisi id adeo tibi molestum est ô here, quonam tam antelucanus euigilator, intempesta nocte ire paras? Vixdum gallicinium est, tu tamen studiosse cultus et ornatus, totúsq; vnguentis quasi myrothecium aliquod fragrans, ac delibutus, domo iam egrederis. FLA. Imperiosissimus ille omniũ herus suis me imperijs amor agit. GE. Quonam? FLA. Vt oculos pascam immẽsa illa pulchritudinẽ. GE. Quam tu pulchri

tudinem hiſce tenebris videas? Niſi fortè aliquis Endymion nobis factus, Lunæ amaſius eſſe cœpiſti. FLA. Et ipſis ſideribus Liciniæ meæ prælucent oculi. GE. Ego verò et felium oculos, et piſcium ſquammas, magis noctu enitere arbitror. FLA. Quid tu malum nebulo cum hiſce ſordibus animalculorum, diuinos confers oculos? GE. Si id adeo diſplicet, ebriorum ego oculos micantiores dixerim, vbi bene poti conniuētibus palpebris, quaſi ſcintillant. FLA. Abi hinc malum nebulo. GE. Ego verò ac lubens, vt quem mihi ipſe tam intempeſtiue interrupiſti ſomnum, auidiſsime complectar, totumq; me illi obtinendum dedam. FLA. Mitte modò adesdum, ac me audi, iſtasq; intempeſtiuas modò nugas miſſas facito. Ego verò quanti te ſemper fecerim Geta, quamq; mea omnia tibi crediderim, et multis antea potuiſti argumentis deprehendere, et nunc intelliges maximè, cum tibi animum aperuero meum, teq; conſiliorū meorum participem fecero: quod eiuſmodi eſt, vt ſimul tibi et rem, et vitam, et dignitatē

meam,

meam,cōmiſſam exiſtimare debeas. Neq; quicquam malim quam hoc contineri ſumma fide,neq; aliter tibi cōmiſero qnam ſtipulatus abs te ſilentij fidem:ſpero enim me tua opera cōmodiſsime vſurum hac in re. GE. Ah. Tam meam fidem parum habes perſpectam,vt me tam accurate monendū duxeris? Quaſi tute expertus nō ſis? FLA. Audi iam igitur.Sat ſcio intelligere te quā ex animo Liciniam Liuij huius noſtri vicini filiā adamem , quamq́; illa mihi mutuo in amore reſpondeat. Adfuiſti enim ſæpe te ſtis cum inter nos colloqueremur,præbēte nobis occaſionem paruula illa feneſtra,quę ex aduerſo eſt:measq; ſępe lachrymas et ſuſpiria notaſti.Neq; aliud quam commoditas loci quominus noſtris amoribus perfrueremur,defuit.Hanc verò commoditatem illa mihi dixit ſe reperiſſe,vt me videlicet huic Lenæ vxori Critoboli,qui iuxta in conductis habitat ædiculis,familiarius inſinuarem. Hæc enim Liciniā iam à paruula educauit,et inſtituit,eaq́; docuit, quæ ingenuā virginē ſcire eſt æquū:literas,acu pin-

gere,et huiuſmodi.Inq; ea inſtituēda perſeuerat,eoq; ad illam quaſi in ludum quoti die ventitat, totoſq; dies apud illam deſidet.Itaq; facile ac tuto huius opera ſine cuiuſquam ſuſpicione, poſſe me ad virginem habere aditum.Iamq; id adeo cōſtituit, ac nunc primum hodie pollicita eſt: tenes ne? Verum ne ſi id interdiu fieret, vicini hoc notarēt,aliquaq; inde ſuſpicio naſceretur, voluit me noctu huc venire.GE.Commode.FLA.Itaque veniet vt ſolita eſt in ludū puella,ego in noctem vſq; vnà deliteſcam. GE.Sed qua tu tandem arte ab vxore Critoboli impetraſti,vt ſe tibi ad diſcipulā perductricem præberet. FLA. Ea nimirum qua et arces expugnātur,et imperia ſubuertuntur, et reges ac regna produntur.Pecunia inquam: qua non alia commodior ad eam rem via. Pactus ſum viginti quinque minas illi me daturum,ac nunc adeo adductarum me ſperabam.Nam Eroſtratus eas ſe mihi curaturum heri dixerat.Cumq; ea ſpe ſuſpendiſſet, heri ſub veſperam me admonuit, non a ſe, ſed ab amico quoddam

ſuo,

ſuo, illas mihi numerari oportere. Qui tametſi ſine vſura in quatuor menſes illas mihi mutuo darit, non tamen ſine pignore crediturum ſe mihi. Quod cum ita ſubito reperiri non poſſet, neque vellem conuentionem hanc cum Lena et pactum diſſolui, viſum eſt occaſionem non omittere. Itaque hùc me contuli, tametſi non parum vereor ne illa me nolit admittere, cũ ſine pecunia venire intellexerit. Audendum tamen eſt, fortaſſe impetrabimus, vt vel ad mane ſpectet. GE. Si illa fidem habeat, digna eſt me Hercle cui tu verba des. Sceleſtam mulierem, quæ non veretur miſero illi ita acerbe illudere, qui ſuam illi filiam commiſsit, ac credidit bona fide. FLAVIVS. Quî tu ſcis an ille dignus ſit hac iniuria? Quod quo ſis ſciens ille ſenex rancidulus vt videtur, et ſordidus, iam diu cum illa conſuetudinem habet, ac pro libidine fruitur. GETA. Mirum: et tu illum vnum fortaſſe putas? FLAVIVS. Fortaſſe etiam alios, vt eſt maritus in ea re vel bono animo, vel fingit ſe

non

nõ intelligere. Nam ſenex maritum ipſum magnifica ſpe lactat, promittens ſe pro illo diſſoluturum æs alienum, quo miſer valde laborat. Neq; audet domo pedem proferre, ne in manus creditorum incidat, et in carcerem trudatur. Verum ille perfidus vbi ad rem ventum eſt, eludit ac negat ſe promiſiſſe, dicitq; ſatis ac ſuperq; eſſe benignitatis, quod in ſuo illo tuguriolo gratis illos habitare permittat. Quaſi verò non et illa pro inſtitutione filiæ, aliquid mereatur. GE. Tametſi hactenus non mereatur, iam profecto poſthac mereri incipiet, quę tam egregiam, tam pulchram, tam iocundam artẽ, filiam edocere paret. Itaq; digna eſt meHercle cui ille bene faxit. FLA. Digna an indigna quid ad nos, quãdo illa de me benemereri ſtudet, referenda eſt à me gratia. Itaq; hoc primũ in hac re facere te velim, vt confeſtim nobis emas aut binos lepores, aut porcellum lacteum, aut ſi non erit ad manum duos gallinaceos, eosq; facias opipare nobis parari: et turdos bene obeſos, tum panem elegantiſsimum, viniq; quamplurimũ

generosioris, vt laute edatur ac bibatur. En tibi minam, totam insumi volo, neq; quicquam mihi postea reddi. GE. Satis memini, tametsi nullus moneas. FLA. Volo iam illi significare me hîc adesse. GE. O perfidiam, digna me Hercle erat. FLA. Quid digna? Si illa pergit mihi gratificari, ego pergam male mereri? GE. Hoc gratificari appellas, quod à te emulgeat viginti quinque minas? Sed heus tu, vnde erit dissoluendi facultas, vbi semel mutuo acceperis? FLA. Quatuor mensibus licebit dispicere. Quid non tu multa putas posse interim accidere? Fortasse ante tertium pater morietur. GE. Et fortasse viuet etiā vltra quartum, quod est credibilius. Quæ tunc erit ratio extricādi te? FLA. Nō tua mihi opera præsto erit, si qua fallacia sit opus? GE. Præsto est, etiā si decem sit opus. FLA. Sed iam ab illa aperiri hostium sentio. GE. Et tu loculos aperire incipito.

SCÆNA SECVNDA.

FLAVIVS. LENA. GETA.

FLA.

FLAVIVS.

PRecor tibi fœlicem diē Lena. LE. Quin tu dic fœlicem noctem. Næ tumultum properas o Flaui. GE. Itanc resalutatū hūc oportuit? Siccine venientem excipis? LE. Malo ego resalutare o Geta gnauiter agendo, quam comiter alloquendo. FLA. Sat scio, salutem meam sitam in te vna. LE. Verum dic mihi num tu paratus aduenis? GE. Nisi me Hercle satis superq; paratus aduentaret, nunquam hūc pedem attulisset. Iam dudum ardet animus. LE. Nō ego de isto apparatu loquor ô Geta, de pecunia loquor. FLA. Sperabam me Hercle allaturum. LE. Sperabām dicis? Inauspicatum principium. FLA. Necessarius quidam meus iam iam se daturum heri promiserat, verū nescio quo modo nocte impeditus est. Itaque hodie, aut ad summum cras, confecturum sese recepit. Ne dubita ad me recipio, iam faxo ante duodecimam penes te argētum sit. LE. Iam quoque ego faxo mox vbi attuleris, vt hūc ingrediaris: interim pro certo habe, te pedem non illaturum.

rũ. FLA. Ah, noli dubitare. LE. Ah, noli tu etiam dubitare; me nihil effecturam sine pecunia. FLA. Fidem tibi oppignero meá. LENA. Pulchram verò commutationem, vt ego pro pecunia fidem recipiam; qua vbi velis pro pecunia vti non possis: hanc verò publicani et vsurarij in adulterina et vili moneta connumerant. FLA. Tu iocaris Lena. LE. Nunquam Ædepol magis sum loquuta serio. GETA. Ah, fieri potest vt formosa cum sis, tam sis insuauis? LE. Formosa an deformis mea certe res agitur: nunquam verò tam ero stulta, vt me hisce nugis deludi patiar. FLA. Atqui obtestor tibi. LE. Mihi testimonio opus nõ est, quod nulli vsui esse queat. GE. Itane apud te leuis est nostra fides? LE. Mitte verba, ac ne actum agas, hoc ego prædico tibi quo tu sis sciens, nisi viginti quinq; minæ hûc præcurrunt, quæ illas fores apperiant, nunquam hûc illaturum gressum. FLAVI. Ah. Times ne id non præstem? LE. Non ego pascor vana spe, neque nugis capior munusculorum, argentum mihi

in

in manus dari volo:ita conuenit inter nos, non tibi iniuriam facio. FLA. Fieri potest vt tam sis inhumana,quę me tuis excludas ædibus? LE. Fieri potest vt tu me tam stultam existimes, vt credam te si id curasses tot hisce diebus,quibus in hoc negocio versamur, inter tot amicos hoc argentũ extricare non potuisse? Si amici non subueniũt, ito ad vsurarios qui sunt passim mille, atq; istam tunicam sericeam totumq; istũ preciosum ornatum, tibi interim detrahe, et ad Alphenum fœneratorem mittito, non deerunt aliæ tibi vestes. FLA. Ne per me iam stare putes, tu illas vel habe vel oppignerato, quoad ego cras tibi per istum, hũc argẽtum deferri faciam. LE. Tu illũ mitte quò volueris, ac per te curato. FLA. Mos gerundus est tibi, ne tecum dolo agi putes. Sume hunc pileum Geta, atq; hanc tunicã: tu vide sis, ne decidat. GE. Quid vin tu te exuere? FLA. Volo illi modis omnibus Hercle satisfacere. GE. Nunquam Hercle laniones isti tam facile excoriant quæ mactant, quam Lena solet adolescentes. FLA. Tu cõ

 tinuò

tinuò ad Æroſtratum peruolato ante duodecimam, ac dicito meo nomine rogare illum me, vndeuis hoc pignore, id mihi argentum cõficiat, quod tu ſcis eſſe opus. Ac ſi ille morabitur, confeſtim te ad Alphenũ fœneratorem conferes, vt fœnori tibi det pro hoc pignore viginti minas, et vndeuis illas pararis, hùc redito. GET. Tu interim manebis nudus? FLA. Quid refert? Adducito mihi togam illam laneam, et tunicam. LE. Abi, actutũ, nam pro certo habe quoad argẽtum venerit, tametſi ille hùc ingrediatur, me non paſſuram vt hùc virgo tranſeat. FLA. Ingrediar tamen vtcumq; interim. LE. Ingredere, ſed hac lege.

SCÆNA TERTIA.

GETA.

IAm diu eſt, quod in hoc verſor vitæ genere, in hac meretricum conſuetudine, et earum fœminarum quæ turpi quæſtu victitant, nuſquam tamen videre mihi contigit, quę tam impudenter, tam ſordide, tam

auare quam hæc Lena ex ſua arte quæſtum faceret. Luceſcit tamen an nõdum? Et iam ego vix credo tertiam vigiliam fuiſſe, cum domo exiuimus. Itaque incommode nunc ad Eroſtratum ibo, qui vix vnquam ante meridiem lectum ſolet relinquere: ibo interea ad forum, ad macellum, ſurſumq; ac deorſum perluſtrabo omnia, ſi quid appareat obſonij lautioris.

Actus ſecundi, Scæna prima.

LIVIVS Senex. LENA.

QVi ſummo mane non euigilat, neq; in tempore facit quæ facienda ſunt, totum amittit diem, neque res illi è ſententia cedunt. Heus Sanga, heus non hùc prodis? Continuò tibi rus eundum eſt, et villicum admoneto, vt plauſtrum confeſtim lignis onerari faciat, et hùc deuehi ſub veſperam: neque inde diſceſſeris, quoad bene ſe ſe habere rem intellexeris. Tum de peco-

re mihi renuntiato quomodo sese habeat, an sit aliquid noui fœtus; quantum spatij in vineis effoderint, vt omnium earum rerum tibi rationem reddant, quot propagines immiserint, aut surculos infoderint, abi actutum, ne morare. Sed heus tu, si forte erit aut agnellus, aut hœdus, huc facito. Verum abi, satius erit vendi. LENA. Iam mirabar istum tam prodigum factum. LIVIVS. Salue Lena. LENA. Salue et tu Liui. LIVIVS. Quid hoc quod tam mane surrexeris? Quid noui rei est? LENA. Sane verò cum tu me ita splendide pascas, et omnia à te mihi affatim suppeditentur, dormiendum erat mihi in medios dies, totumq; diem cessandum in otio. LIVI. Præsto pro mea facultate quod possum Lena, ad explendam verò libinem tuam maioribus copijs esset opus, pro meo modulo studeo tibi benefacere. LENA. Qua in re tu mihi benefacis? LI. Hoc vestri ingenij est, cum accipitis dumtaxat habere gratiam, accepti verò beneficij continuò obliuisci. LENA. Quid tu tandem mihi contulisti?

An fortaſſe hoc exprobrare pergis, quod gratis in tuis habito ædiculis? LI. An verò hoc tu parui æſtimas? Pluris duodecim minis mihi ſtat quotannis, præter ea commoda quæ ex noſtra capis vicinitate. Verũ ne me exprobrare exiſtimes, me cõprimam. LE. Quid tu exprobres? An quod reliquias pridiani iuris ad me mittis? LI. Eſt prȩterea adhuc aliud Lena. LE. Fortaſſe putridus panis, et aliquid vappæ, et ligna bina ſi quãdo iſthic exonerantur plauſtra. LI. Eſt adhuc aliud Lena. LE. Quid tãdem aliud? Audire volo, veſtes ſericeæ aut bõbicinæ? LI. Nec te deceret geſtare, nec mihi liceret dono dare. LE. Vnã dic ſi potes ſtolã, quã mihi dono dederis. LI. Reſpõdere nolo. LE. Soleas aut calceos ſi quãdo bene detriuiſti, bis aut ſemel in anno, ſoles Critobolo relinquere. LI. Et tibi aliquãdo recentes dedimus. LE. Vix ter annis, quatuor. Sit ſane quando ita vis: nihil nec labor meus in inſtituẽda filia, nec virtutes quas illam edocui apud te valeant? LI. Valent ſanè: negare non poſſum, neq; tui ſimilis eſſe volo, quȩ beneficiorum obli-

obliuiſceris. LE. Cum primum in hanc mi grauiviciniam Alphabetum nondum illa nouerat, aut acum tenere manu. LI. Fateor. LE. Nec torquere fuſum: modo et literas optime nouit, et acu pingere, neq; vlla eſt tam difficilis pictura, quam non illa ab exẽplo ſcitiſsime exprimat. LI. Fateor inquã; neq; eo ſum ingenio vt bene de me meritã negem. Verũ hoc adeo reſpõdere nõ omit tam, niſi tu iſtã operam ſumpſiſſes ô Lena, non defuiſſet alia quæ id et minoris quidẽ præſtitiſſet, quæq; ſatis putaſſet ſingulas minas ſingulis annis. Modò parum intereſ ſe cẽſes, ſingulas ne an duodenas accipias? LE. An verò nihil eſt aliud quod ego præſtiterim, quo tu mihi plus debeas? Si Ædepol duodecies tantundem in anno dares, nunquam tamen pẽſaſſes infamiam quam ex tua vicinitate contraxi. Hoc iam vulgò fertur, me tuam eſſe pellicem: quod male vertat Critoni qui nos primũ in iſtud gurguſtiolum adduxit. Sed per me non Ædepol ſtabit, locato cui volueris, diem in his non amplius morabor. LI. Vide ſis, quid di

cas Lena?LE. Agè,locato cui volueris,non patiar vt rursum mihi exprobres,quod gratis habitem in tuis ædibus. Si scirem Elysios hic esse,et hortos Hesperidum,non habitarem tamen.LI. Vide sis, quid dicas cogita.LE.Satis superq; cogitaui, cui volueris locato. LIVI.Sit ita sane.Hoc ipsum volebam. Et quidem iam faxo, LENA. Vt libuerit,vel vendito vel incendito,iam ego mihi aliunde prospiciam, nec deerit sane. LI. Quo magis hanc indulgenter tracto, meq; illi submitto, tãto illa ferocior indies est,et superbior et procacior,animam mihi si posset vellet exugere.LE.Quasi verò sine illo non liceat viuere.LI.Et sane præterquam quod nihil pro ædibus pendunt, atque id mihi pretium disperit, plusquam duodecim alias a me minas extorquent. LENA. Neque ætas mihi deest Dijs gratia,neque forma, vt omnis spes continuò abijcienda sit.LI. Spero me Hercle ita contusurum istam ferociam, non est sane animus vendere,simulabo tamen ac persuadebo illis.LENA.Nec debilis sum nec valetu

dinaria. Ll. Itaque Carinum illũ adducam finitorem, et æſtimatorem ædium, quem decempedam appellant, qui illas æſtimet his preſentibus, ac mecum de pretio agat. non deerit emptor aliquis ſuppoſititius. Illi verò metuẽdum non eſt ne domo egrediantur, obolum non habent, nec vnde ſibi parent, fame emorientur alibi. Tot mihi ſtimulis hæc belua compungenda eſt, et domanda calcaribus.

SCÆNA SECVNDA,

LENA.

SVauem nimirum hominem, hoc ſcilicet volebat ſibi, poſtquam me ſuo teterrimo ſpiritu infeciſſet, et pro ſcorto ad libidinem abuſus fuiſſet, verbis ſatiſfacere, quod re male feciſſet. Bellum adoleſcẽtem, cui te gratis perfruendam dare debeas. Næ ego iam tum ſtulta ſatis fui, cum me illius blandimentis, et inanibus promiſsis deludi ſum paſſa. Verum in cauſa fuit ſtoli-



dissimus ille omniũ homo maritus meus, qui illud mihi identidem occinebat: vxor morigerare homini, beatos nos reddet mihi crede, morigerare inquam, in illo nostrę fortunæ sitæ sunt, pro nobis omne æs alienum dissoluet. Quis illi principio fidem nõ habuisset, cum mõtes aureos pollicebatur? At ego Ædepol faciam quod solent famuli erga dominos auaros, qui cum mercedẽ suam exculpere ab his non possint, nacti quamprimum occasionem, expilatis herili bus scrinijs, aut virgine cõstrupata, aut aliquo alio admisso scelere, fugam arripiunt. Itaq; hoc apud me statuo, quacunq; ratione liceat operæ meæ pretium nõ amittere, per fas aut nefas nihil moror, ego compendium meum quæram: neq; apud Deos aut homines, id mihi vereor vitio datum iri. Si vxorem haberet, dispeream si non eandem à me iniuriã acciperet, quam ille meo Critobolo intulit, quod quoniam fieri nõ licet, in filia certe dabo operam ne id inultum maneat.

SCÆNA TERTIA.

GETA. LENA.

VErum Hercle eſt id quod dici audio, vnum interim hominum pro centum eſſe, rurſum centum ne vni quidem pares: idq; modò adeo verum deprehendi. LE. Videtur Geta is qui horſum venit, certe ipſus eſt. GE. Hodie cum primum hinc diſceſsi, curaturus ea quæ herus iniunxerat, in forũ rectà pergo, ſurſum ac deorſum perluſtro totum iſtum vicum quem maiorem appellant. Percurro: hinc me ad macellum hinc ad forum olitorium confero, exploro omnia, nihil apparet vſquam obſonij. LE. Senſim ac ſecum loquens aduenit. GE. Video gallinaceos ita macilentos, ſic pellucentes macie, vt vnum annum quartana laboraſſe diceres. LE. Fortaſſe argentum affert. GE. Alius nil moratus continuò emiſſet, ac ſecum diceret. Ego quid poſſum facere, ſi cõmodiores non ſunt, qualesquales ſunt, alienæ gulæ parantur. LE. Suffarcinatus aduenit. GE. Ego verò nihil horum: nec ſum

cæterorum similis: functiones et munera demandari ab hominibus possunt, prudentia et diligentia non possunt. Itaque specto in medio foro si quem ex hisce rusticanis viderem, qui aliquid esculenti importare solent. Præterea si quem venatorem, si quem aucupem, si quid haberent aucupij. Ibi me quidam notus adit: rogat, quidnam mihi vellem? Ego indignari quod nihil toto oppido reperiretur obsonij, nihil aut piscatus, aut aucupij, aut ferinæ, quemadmodum in reliquis ciuitatibus, summam esse penuriam rerum omnium, nihil aliud quã aut cornices aut passeres vendi, quoniam ea vilissime veneunt, et facile emptorem inueniunt. LENA. Expectabo Ædepol vt intelligam quid ille afferat. GETA. Disce do. Ille me consectatur, adit, ac nisi tibi molestum est inquit, ô Geta, iam à me duos phasianos habebis denarijs sex. Ego vero gratissimũ, inquam, feceris. Ille continuò maneto me isthic inquit, neque te loco moueris aut cantitaueris: immo verò inquam magis quam statua mutus ero. Ille

con-

continuo in ædes se conijcit pontificias. Ego vero interea dum illum maneo, capum obesissimum quem fueram antea spe culatus emo, et medica mala sena, continuo ad vestibulum redeo. Vixdum redieram cum ille foras procedit, pinguissimos binos phasianos afferens. Inijcio confestim manus, ac sex illi denarios in ipso aditu annumero libentissime. Tunc ille: si quando aliàs tibi aut senis, aut duodenis hisce auibus erit opus, innuito mihi, præsto tibi sunt, modò sit fides celaturum te optime. LENA. Multa secum meditari videtur, ac loqui. GETA. Ego ad me recipio. Verum nunc adeo ridere mihi lubet, quod domini tam accurate, et tanta cum diligentia asseruari faciunt, illi ipsi qui huic curæ præficiuntur expilant, ac diripiunt: neque vlli sunt furaciores quam qui ad auertẽdos fures adhibentur. LE. Expedi tandem te, quod male tibi vertat. GE. Itaq; fasides aues quę vix in magnatũ mẽsis et regijs epulis reperiũtur, modò in lustris

ac

ac meretricum prostibulis,inter lenones ac meretrices absumuntur. Verum ego hosce opipare parari feci,ac mecum in cista defero.Sed eccam Lenam.LE.Num tu argentum affers Geta? GE.Iam Hercle afferam. LE.Afferam dixti? Non sanè mihi res placent futuræ.GE.En tibi in præsentia affero capum,phasianos,panē,vinum,caseum, et quid nō? Abi atq; intro fer.LE. Pecunia mihi est opus.GE. Ante semihoram iam faxo penes te sit. Adhuc Erostratus erat in lecto,ac me iussit in theca vestes deponere, redire in post meridiem hora secunda,confectam se mihi daturum pecuniam. Interea condiri hæc nobis,et apparari feci. Verum quid ego à te expecto prēmij pro hac mea opera? Nā scito quidquid hîc recte fit,mea vnius opera fieri.LE.Quid tu tibi vis? GE. Quod Hercle siue centum dederis,nihil tibi decedet.LE.Nō Ædepol intelligo. GE. Dicam planius.LE. Abi atq; affer pecuniā; ego sine illa nihil audio.GE. Itaq; pecuniæ medētur auribus?LE.Et quidem maxime. GE.Etiam ne surdis omnino?LE.Quid ni.

GE.

GE. Tu tamē fingis te nō intelligere quod probe intelligis. LE. Abi impudens: ſed ne patiamur obſonium refrigerari. GE. Eamus intro. Sed vbinam eſt puella? LE. Immo vero vbinam eſt pecunia? GE. Iam faxo adducatur. LE. Et ego faxo adducatur virgo continuo. Verum ne patiamur prandium frigeſcere. GE. I ergo præ, ſequor. Verum næ tibi iſtæ erunt extremæ epulæ, quas ego tibi vnquam inſtruam, quod illis male vertat. Eò ne me ego defatigaui vt iſti indulgeant genio? Vt Scropha atq; ille cucculus deuorēt? Nō Hercle patiar. Quin ego hinc labra Hercle inungam.

Actus tertij, Scæna prima.

GETA ſolus.

IAm mihi videor ex altera prouintia explicuiſſe me optime, et ex animi ſentētia. Inſtructa mihi ſunt perbelle omnia: capus, phaſiani, panis, et vinum lautiſsimum: nunquam

quam laudare destitit herus industriā meā, et ingenium, qui tam bene eius pecuniam collocare nouerim. Mihi nunc altera conficienda superest, quam equidem haud spero ita facile confecturum, et commode. Nam vt verum dicam, non sane placet quod Flauius ita temere profundat, vel potius perdat pecuniam suam. Quamquam hoc ferri poterat si nihil aliud quam perderet. Verum vbi reddenda erit quam mutuo accepit, ibi vero in angustum nostræ cogētur copiæ, eò denique recidet negotium, vt vendenda vestis sit, quod ego timeo, qui senis auaritiā et truculētiam nouerim. Neq; vero clàm esse furtum poterit, necesse est dimanet ad illum aliquà, et filium domo extrudat, in me denique cudetur faba. Tunc illa tragica, clamores et iurgia. Hic plane esset opus aliquo seruo veteratore, quales fingunt comœdiæ, qui istud argentum fraude aliqua, ab hoc parcissimo abraderet sene. Atqui quamuis ego non sim aut Dauus, aut Sosia, neque inter Phrygas aut Syros natus, comminisci tandem ali-

 quam

quam non potero fallaciam? Audendum est; fauet fortuna audacibus. Verum quid faciam? Non est mihi res cum credulo aliquo sene, quales Plautus, et Terentius, solent sæpe fingere, Simonem, aut Chremetem. Verum quanto cautior hic est, tanto maior erit hunc lusisse gloria. Heri rus profectus est, iam nunc vẽturum specto, oportet me excogitare quid illi primum venięti dicam. Sed eccum per Iouem, ipso in tempore, non potuit nec in comœdia tempestiuius quidquam fingi, vix nominaram, cum ille ab extremo vico apparuit. Sed nolo me videat priusquam rete intẽderim, quod spero hodie mihi non in cassum fore.

SCÆNA SECVNDA.

HILARIVS. HEGIO. Senes.
GETA.

HILARIVS.

NVnquam quicquam tam charum esse oportet, quod nactus vendẽdi occasio

nem omittas,præter vnam vxorem. HE. Vtinam et hanc per leges ac mores, vendi liceret. HI. Ego verò non dico vendere,ſed gratis ac dono dari oportere cēſeo. HE. Minus fortaſſe morigeram, aut tibi commodam. HI. Ita ſane:nunc autem cum vēdere non liceat,commodatò tamen amicis vtendas præbent. Sed vt ad rem redeam,par boum ex animi ſententia vendidi triginta minis. GE. Hiſce nobis erat opus. HI. Heri ſub veſperam cuidam agricolæ. HE. Oportebat illos eſſe elegantiſsimos. HI. Haud dubium. GE. Ego hùc animum adijcio. HI. Erant ſanè belliſsimi. GE. Ego hùc Hercle retia iam. HI. Mihi tamen magis arridet pecunia. GE. Fieri iam nō poteſt quin ego ad nos. HI. Certè iam non metuam ne ārādo enecti concidant. HE. Feciſti bene. Sed hoc eſt diuerticulum, hàc mihi eundum eſt, ſi quid erit opus,præſto ſum. HI. Vale. GE. Iam mihi coturnix rete circumuolitat, accurrendum eſt vt implicetur laqueo. Ego quid faciam aut quò me conferam neſciō, herus et domo abeſt,et vrbe. HI. Quid ille ſibi

ſibi vult?GE. Quam incõmode profectus eſt Flauius.HI. Nunquidnam hoc mali eſt? GE.Satius fuiſſet literas ad illum mitti, et nuncium.HI.Væ miſero mihi, neceſſe eſt aliquid mali acciderit.GE.Quam ipſum il lùc proficiſci. HI. Quid hoc eſſe poteſt? GE.Aut certe oportuiſſet rem ad principẽ et magiſtratus deferri.HI.Dij immortales. GE.Quamprimum Hilarius hoc reſciuerit,hùc aduolabit illico.HI.Geta.GE.Non poterit pati,tũc illæ turbæ fient. HI. Geta. GE.Verum quid ille faciet?.HI.Geta.GE. Quis me vocat?O here.HI. Quid eſt? GE. Non tu Flauium habuiſti obuium?HI.Vbi aut quando?GE.Vix erat duodecima cum vrbe eſt egreſſus,ac mihi dixit tibi ſc ire ob uiam.HI.Quorſum?GE.Non tu ſcis quantum adierit periculũ? HI. Periculũ? Narra obſecro.GE.Exiſtima hodie illum eſſe natum,minimo minus abfuit,quin illum nebulones quidam interemerint. Modò Dijs gratia. HI. Eſt aliquid mali, an ſauciatus eſt?GE.Nihil pericli eſt. HI. Quæ fuit iſta ſtultitia vel magno,vel mediocri malo, ad

villã pergere?GE.Huic malo nihil iter nocet.HI.Quid nihil?GE.Nihil inquam:immo expeditior est. HI. Num ille sauciatus est?GE.Sane:ac vereor vt posſit cõualescere:incruentum tamen vulnus est. HI. Væ mihi,interij.GE.Tu tamẽ audi,vbi vulnus acceperit.HI.Dic.GE.Non sane in capite, nec humeris,nec pectore quidem,sed neq; in latere.HI.Vbi tandem? Expedi te, num vulnus accepit? GE. Et quidẽ grauiſsimũ. HI.Fieri non poteſt,quin illud ſit difficillimũ.GE.Immo verò facillimũ. HI. Tu me enecas:habet male an nõ?Potes hoc tãdem dicere?GE.Dicam.HI.Dic malũ.GE.Audi iam.HI.Perge.GE.Nõ excepit plagam corpore.HI.Nũ igitur in animo?GE. Prope in re nõ abſimili. Heri ſub veſperã cum aliquot amicis cænatum iuerat,ac me inter eundũ admonuit,ad decimã præſto eſſem, cum lumine illũ reducturus.Poſtea neſcio quo pacto ante nonã diſceſſerat. Itaq; intẽpeſta nocte et in medijs tenebris,ſicarij illũ quatuor repẽte inuadunt,circũſtant,conijciunt eminus tela.HI.Nec tamen vulnerarunt?

runt? Summū periculum. GE. Dijs ita visum, nō sane corpus. HI. Magnam illis habeo gratiam. GE. Ille tamen cōijcit se in pedes quantū potest, caput telis appetebatur. HI. Vę mihi. GE. Caput quidē illęsum fuit, pileus tamē vnà cum signo aureo quod gestabat, humi deturbatur. HI. Itaq; amissum est? GE. Nō. Verum illi latrones sustulerūt. HI. Nec reddiderunt? GE. Redderēt verò? HI. Pluris mihi duodecim aureis stetit, Dijs tamen gratia, quod nihil incōmodius accidit. GE. Cum autē vestes implicarentur cruribus, illūq; impedirent ad fugam, euoluens ille se atq; explicās, quod iam sæpe tētauerat, ab se abijcit. HI. Itaq; et vestis amissa est? GE. Non arbitror, illi grassatores sustulerūt. HI. Et si illi sustulerunt nōne amissa est? GE. Non sane putabam amissa dici, quæ alij sustulissent. HI. Ah. Stolidus es: mihi ad summam quinquaginta aureorū ista iactura est. Bene tamen habet, quod nobis saluus est Flauius. GE. Sane corpus intactum est. HI. Vbi tandem vulnerari poterat stolide? GE. Mihi vero animo vide

tur vel maximum vulnus accepisse, cui prę ter animi dolorem pergraue est, istam tibi nunc afferre molestiam. HI. Cognouit tamen ille ipsos inuasores? GE. Neq; per noctem illi licebat, neque per timorem quo erat exanimatus. HI. Quid tu in tempore non iueras ad illum reducendum? Tu vnus in culpa es. GE. Istud nimirum iam ex tuo more facis, qui illius peccata in me trãsfers. Cur aut ille me non mansit, aut si id negligebat, amicos vt comitarẽtur rogauit? Qui fecissent facillime. Verum quin tu potius despicis, si qua pręsenti malo mederi liceat? HI. Qua tandem ratione? GE. Vt rem ad prætorem deferas, et alios magistratus, ac si sit opus ad principẽ. HI. Quid tum postea? GE. Vt præconibus demandetur. HI. Nimirum: vt si modò in occulto est, dehinc per vulgus emanet fabula. Quis enim crediturus est quatuor fuisse, ac non potius cum vno congressum, timore atq; ignauia fugã arripuisse, et vltro abiecisse vestes? Quod si principi narres, ille te ad præfectũ reijciet, præfectus ad prætorem, qui continuò ma-

nus obseruabit,an ad illum vacuus venias, ac nisi testimonia et tabulas proferas,merũ te asinum esse dicet. An verò tu alios maleficos esse putas,quam qui ad puniẽdos maleficos sunt cõstituti? GE. Quid igitur fiet? HI. Feretur. GE. Hoc vero nunquam feret Flauius. HI. Velit nolit ferendum illi est: ac Dijs Pol habenda gratia, quod saluus est. Mihi porrò dolẽdum est,qui plagam istam in crumena acceperim,et quidem grauissimam. Mea est iactura,mihi dolebit, nõ illi. Illi quidem si pileus perijt,alter cõficietur, si vestis ablata est,altera reddetur æquè splẽdida: mihi verò nemo erit qui pecuniam in loculos referat. GE. Non expediret si videtur,vestiarios et hos fœneratores,et argentarios præmoneri? Vt si quis horum latronum ad eos venerint,vestem vel commutaturus,vel venditurus,vel oppigneraturus, eum comprehendant,et ad te rem deferãt? HI. Fortasse hoc nihil noceat. Quamquam ego satis scio hosce vsurarios homines esse auidissimos,istos verò propolas,et tabernarios,ex fraudibus quæstum facere. Itaq; ve

rum nunquam dicent,neq; libentius quidquam vēdunt,quam quæ furtiua esse sciūt. Nam et vilissimo his constant,nec si semel pignori dētur,sperant vnquā redemptū iri. GE. Nos quod nostrū est faciamus,illi viderint. HI. Si ita videtur abi,ac prædicito.

SCÆNA TERTIA.

GETA. CRITOBOLVS.

BEne se res habet:ego vero et confectam arbitror. Nunc, quid est reliquum quā vt vestem ab Erostrato quamprimum recipiam, illamq; oppignerandam per hominem ignotum vsurarijs mittam, quod quā primum resciuerit senex,dubium non est, quin illā redimat quanticumq; addicta sit. Edocere tamen prius Flauium volo, ne illum imprudētem pater occupet,apte vt respondeat,ac fabulæ seruiat. Sed eccum prodit Critobolus. CRI. Te vocat Flauius. GE. Ego verò ad ipsum conabar,boni quid porto. CRI. Mitte, audiuimus à principio omnia,cum tu senem mirifice accepisti,am

bo

bo post fores auscultabamus. Nec verbum decidit. GE. Quid tibi videtur? CRI. Palmarium tibi Hercle est: tu in fingēdis fabulis omnes Poëtas superas, cōtine tamen te, ne te Liuius ingredientem videat: vbi ille terga verterit, continuò ingredere.

SCÆNA QVARTA.

LIVIVS. CRITOBOLVS.

NE postea dicas non prædictum tibi, alias ædes moneo quæras Critobole, hasce volo vendere. CRI. Tuæ sunt, tuo arbitratu facito. LIVI. Inter me et emptorem iam cōuenit, vt hùc æstimator veniat cum decempeda, ac totas metiatur ædes. Spero de pretio non desidebimus. CRI. Vellem me heri præmonuisses, vt conuasassem, ac ne omnia intus turbata offenderes. LI. Abi et compone, differri res non potest, iam illi hic aderunt. CRI. Minime rerum, fac cras reuertantur. LI. Morari non potest emptor, qui Mutinam proficisci parat.

SCÆNA QVINTA.

CRITOBOLVS. GETA.

QVid fiet Geta, quo abdemus herũ tuũ ne isti videant? Nam si illum hîc deprehendit Liuius, haud dubie peruulgabitur fabula. Quantum erit turbarum? GE. Deerit locus quo detrudatur? CRI. In tam angusta domo, quem tu locum fore putas, cum tota metienda sit? GE. Non est aut theca, aut armarium? CRI. Duæ capsulæ sunt ita angustæ, vt vix Penates capiant. GE. Egrediatur prius quam illi venerint. CRI. Ita ne nudus? GE. Ego iam illi aliam domo vestẽ attulero. CRI. Abi, ac redi cõtinuò, hîc te maneo. GE. Quid hoc? Hilariũ egredientem video.

SCÆNA SEXTA.

HILARIVS. GETA. FLORVS puer.

HILARIVS.

Quam-

QVamuis ego Getā præmiſerim, oportebit et me ipſum illùc ire. Nā ſi quis alium diligentiorem in ſuis rebus quam ſe ipſum putat, is mea ſententia vehementer errat. Itaq; ego per me explorare hoc furtū volo. Sed ipſus adeſt Geta: quid eſt actum? GE. Iam et Alphenū et Fabium admonui, reſtant mihi illi qui ſunt in extremo vico. HI. Quidnam ille ſibi vult adoleſcens, qui noſtras fores petit? GE. Florus eſt Eroſtrati famulus: diſpeream ni totam hic interturbabit fabulam. HI. Quem quærit? GE. Flauium arbitror. HI. Eſt ne illa veſtis? GE. Mihi quidem videtur, et eius item pileus. Adeſte modò aſtutiæ, alioqui perimus. HILA. Quidnam hoc rei Geta? GE. Ego credo hoſce ſibi ludos contubernales facere, quibus erat volupe hunc exagitare. HI. Næ illi parum caute ludos ſibi faciunt. FLO. Herus meus Eroſtratus haſce remittit veſtes, ac dicit illum ſuum amicum. GE. Quem amicum? Quam incœptat fabulam? FLO. Illū inquam qui pro hoc pignore, ſeſe receperat. GE. Nugæ. FLO. Pecuniam illi mutuo

daturum, quam tu Geta. GE. Quid hoc fabulæ eſt? FLO. Veneras hodie rogaturus. GE. Ego ne? FLO. Tu inquam. GE. Me aſpice: quam es ad fingendum callidus. HI. Geta, tu iſthæc ſume, atq; intus repone, abi iam tu abi inquam, ac Eroſtrato dicito, non eſſe amicorũ tam imprudẽter iocari. FLO. Quid iocari? HI. Non decere ipſum, huiuſmodi luſus. FLO. Ego ſatis credo, herum meum non ludere. Quid tu mihi innuis belua? Verum Hercle dico. GE. Ego verò innuo? FLO. Ac meum herum defendo, quẽ tu iniuria accuſas. Si Hercle pecuniam habuiſſet, iam dediſſet, et quidẽ libenter. GE. Pecuniam? Tu ſomnias? An nos ebrios et deliros putas? FLO. Tu non hodie ad nos iſtá attuliſti veſtẽ? GE. Pedes ne, an eques? Teneo quid velis? FLO. Quid nunc etiã innuis? GE. Ego vero? HI. Quod male tibi vertat nebulo, nõ ego te innuẽtem video? GE. Nimirum innuo illi, nos nõ eſſe harũ ignaros artium. FLO. Artiũ verò? HI. Hoc volo mihi dicas, vnde tu iſtam habes veſtem? GE. Hoc nimirum eſt commẽtum Eroſtra

ti.

ti. HI. Illum, non te respondere volo. GE. Ille te Hercle deludet mirifice, quod nouit optime. FLO. Tu vero ludis. GE. Me aspice, ne ride. FLO. Quid ego rideam? Quid aspiciam? GE. Abi, par pari reddet aliquando Flauius. HI. Mane: tu hinc discede, ego ab isto exquiram. GE. Atqui ego nõ feram, vt iste te deludat. HI. Tu verò times ne hic me quasi magicis dementet veneficijs? Dic mihi ista vestis. Abi iam tu hinc nebulo. GE. Tu istũ audias? Quotquot sunt vsquã per Iouem torcularia ne tantilum quidem veri expresserint. FLO. Dico Hercle verũ. GE. Nimirũ quam verũ est me esse Camellum. HI. Mitte illũ dicere. FLO. Geta verũ audies. GE. Atqui audire vellem. HI. Tu modis omnibus interturbas. Sed si verbum iam Hercle facis. Verum heus tu intro mecum veni, hũc foras excludamus: volo iam audire à principio omnia. Ego istos credo societatem coijsse in meam perniciem.

SCÆNA SEPTIMA.

GETA. CRITOBOLVS.

In-

INcommodius euenire nihil poterat. Ego vero tametsi properabam, in medio tamē conatu nos argētum destituit, atq; ita sane auolasse videtur, vt frustra me consecuturum sperem. Enimuero habēda est Erostrato gratia, qui istā ad nos beluam hodie miserit, qui telam tam bene cœptam interrūperet. Atqui conuenerat me illuc rediturum. CRI. Quid tu cum illo altercādo morabaris? Vbinam est vestis quam Flauio adducturus iueras? Nō licet malum nobis morari. Nam si Liuius iam redierit, quomodo illum emittemus domo? GE. Quid ego faciam, si me Hilarius exclusit, et fores occlusit? CRI. Quid ergo faciemus? GE. Vide an aliquò possit abdi? CRI. Nusquā licet. GE. Satius erit illum emitti nudum, quam domi operiri periculum. Aut domi abde, aut foras quoquo modo extrudito. CRI. Ne vtrum placet. GE. Quid igitur fiet? CRI. In mentē venit, esse apud nos dolium quoddam peramplū, quod mihi necessarius quidam meus ad vindemiam commodatò dedit, vt insuauem quendam tractatum odorem

rem deponeret, neq; repetiuit hactenus, in hoc demitti placet, quoad hi qui vnà cũ Liuio venient, domũ perlustrauerint. GE. Capiet illum commode? CRI. Cõmodissime. Satis ego illud dtersi atq; expurgaui, per hosce dies. Nihil potest esse commodius. GE. Eamus, et illum moneamus. CRI. Arbitror eos ipsos esse de quibus loquebamur, nimirum non alij. Ego enim Galloniũ decẽpedatorem probe noui, præcurramus, ne illi iam introierint. GE. Agè: ne nos iam occupent, nec parari liceat.

SCÆNA OCTAVA.

GALLONIVS. GRANIVS. LIVIVS.

GALLONIVS.

VBi ego mensus ædes fuero, hęc mihi decempeda ad extremum quadrantem, quanti sint edifferet. GRA. Itaq; nostris tẽporibus, et fustes etiam loquuntur, ac perticæ. GA. Maxime. Neq; loquuntur solùm, sed

ſed et loqui faciunt,ſi cuiuſquam tergo incutiātur.Sed eccum Liuium.Quid nos vis facere?LI.Vt metiri aggrediamini.Hi ſunt fines,ab hoc veſtigio ad illud tignum.GA. Metimur ne?.LI.Quamprimum.GA.Semel defige,iſthic gladium. GRA. En tibi. GA.Bis,et hoc præterea duæ ſunt ſextulæ, nam tres pedes nondū arbitror.LI. Eamus intro,ſed vide numerum tu prius notes. GRA.Id equidem faciebam.

SCÆNA NONA.

IVLIANVS.

MOdo cum in foro eſſem apud prætorem,huius Critoboli neceſſarij mei, bona addicta eſſe comperi huic Charino,viginti minarū nomine,quas illi iam diu debet, nec extorquere ab illo aſſem poteſt. Quid enim eripiat ab eo,qui ne teruntium quidē habet?Itaq; actio illi data eſt in rem, vt vel proſcribantur bona,vel detrahantur pignora.Ego verò ne ſi totius quidem ſuppellectilis auctio fiat,exiſtimem tertiā inde

par-

partem posse redigi. Itaq; vbi peculium nō erit satis, ad aliena se conuertent, si qua domi repererint. Itaq; et meum dolium vnà auferent, quod ille cōmodato à me habet. Ego verò in tempore mihi consulam, atq; illud reportari faciam, ne vbi illi in proscriptionem admiserint, in discrimen veniendum sit, meū sit, necne. Illùc ergo introibo, et fores quidē apertas video, cōmode se res habet. Heus baiule, hùc me sequere.

Actus quarti, Scæna prima.

FLORVS Puer.

NVnc demum intelligo, quam sit à me imprudenter factum, quamq; mihi iure, meus succensebit herus, vbi rescierit patefactas per me insidias, quas Geta parabat seni, vt argentū illi abraderet. Verū si quid est peccatū à me, imprudētia est, nō Hercle nocendi studio. Quamquam quid ego poteram qui pręmonitus nō essem? Magis est

quod herum illi incuſent meum, qui neq; verbū prædixerit, tametſi magna fuit ſtoliditas mea, cui nihil in mentem venerit, niſi nunc demum re deplorata ac perdita. Verum quid hoc eſt? Quid ſibi viatores iſti et lictores volũt? Dubium non eſt quin ad inopem aliquem, et miſerum hominem è fæce vulgi vexandum, properent.

SCÆNA SECVNDA.

CHARINVS.

IAm ego millies hũc lictores adduxi, vt illi auferrent pignora, verum iſti fures vbi mercedem acceperũt, nihil minus curant. Iam ille mihi à principio triginta dabat minas, ac ſeſtertios quindecim, quadrienium mihi iam litigando abijt, ter pro me pronũtiatum eſt, aduocati verò, procuratores, et iudices, duplo plus abſtulerunt mihi. Quid verò in formulis, ac libellis deſcribendis abſumpſerim, non auſim dicere. Hũc adde laborem, ac moleſtiam non ferẽdam. Quam ſępe te his atq; illis ſubmiſeris, quot calceos

ac

ac vestes detriueris, hos canes consectando sursum ac deorsum, pluris quã quadraginta minarum impendiũ mihi stetit. Post tot tamen sumptus, et molestias, triginta duntaxat ille condemnatur minis: mihi licebit interea caput scalpere, aut manus fricare. En tibi ius nostrum, et æquitatem temporum. Quamquam vtinam et has triginta minas, liceret exprimere. Vbi ad rem ventum est, et hanc quantulamcumq; suppellectilem, vix quidem triobolarem, mihi exhiberi postulo: en tibi vxor cum inuentario prodit, suamq; inde dotem deduci flagitat. Ita fit, vt relinquatur mihi minus quam nihil. Ego tamen persuadere non possum mihi, tantam esse inopiam, quantam illi simulant.

SCÆNA TERTIA.

CHARINVS. et CÆPASIVS Lictor.

HEus Cæpasi præi, atq; istas fores, quod est tui muneris pulsato. CÆ. Quid ego illas pulsem, quæ me læserunt nihil?

CHA. Lædunt Hercle me, quæ iſtum qui intus latet, præhēdi prohibent. CÆ. Quid hoc ad me? Tu in illum impetum facito, ac pro libidine calcibus cōtundito, et bilē tuā euomito. CHA. Ita nę ſedulo præſtas operam? Verum illæ iam aperiuntur. CÆ. Næ ille ſapienter faciunt, quæ ſe contundi non ſunt paſſæ. CHA. Verū quidnam hoc turbæ eſt? Secedamus paululum, impedimēta fortaſſe ac ſarcinas domo efferunt, ne intus deprehendantur.

SCÆNA QVARTA.

IVLIANVS. CRITOBOLVS. CHARINVS.

IVLIANVS.

SI conſtat eſſe meum, quid me auferri nō pateris? CRI. Cum per hoſce ſex menſes ne verbum quidē feceris, nunc demum tibi in mentem venit, tam præter ſpem vt auferas? IV. Dixi equidē cauſam, ne ſi modo relinquam, recuperare iam non poſsim.

CHA.

CHA. Apparet rem dolo geri. Isti haud dubie inter se consentiunt. Alioqui quî venissent tam attemperate? IV. Ego non intelligo nisi tu aperis, quod tibi aut accedat, aut decedat, si doliũ abstulero. CRI. Satis hoc inquã tibi sit, esse mihi incommodissimũ. IV. Immo verò mihi. CRI. Non à te impetrabo vt vel semihoram expectes? IV. Quid si nunc iam illi adsunt, erepturi pignora, et proscripturi bona? Et quidem eccos eos ipsos, eccos inquam, iam mihi sine litibus recuperare non licebit, recte diuinaueram.

SCÆNA QVINTA.

CHARINVS. CÆPASIVS. PEDVCEVS. IVLIANVS.

CHARINVS.

HOc ego doliũ in partẽ bonorũ mihi addici volo. Heus Sãga, heus Cępasi, inijcite manus, asportate, tu itẽ Peducee. CÆ. Ego vero non sum baiulus. PE. Neq; ego

per Iouem. CHA. Egregiã verò mihi præstatis operam. IV. Nemo dolium digito attigerit, ni mauult iam. CHA. Tu ne prohibes, quo minus prætoris edicto pareatur? ne ve pignora detrahantur? IV. Quæ illius sunt auferte, eripite, hoc vero dolium meũ esse assero. CHA. Quid tuũ? IV. Meum inquam plane, quod illi commodaueram. CHA. Fabulæ. Quod ego domi illius offendo, id tãquam illius aufero. IV. Nimirum, si ego auferri patiar. Apage ni mauis. CH. Fidem vestrã imploro, mihi vim fieri. IV. Quid vim? Mitte, atque abi.

SCÆNA SEXTA.

LIVIVS. IVLIANVS. CRITOBOLVS. CHARINVS. GETA.

LIVIVS.

QVid vos isthic vociferamini? Quis iste tantus strepitus est? IV. Hoc ego dolium meum esse contendo, idq; auferri volo, hic contra prohibet. CRI. Verum Hercle

cle eſt.Illius plane eſt.CHA.Immo Hercle verum non dicit.IV.Immo tu mentiris per Iouem.LI. Poteſt agi ſine conuicijs.CHA. Immo vero tu.IV.Pergis me in os coargue re?CHA.Audi iam nunc Liui, ſi ego hoc doliũ ex iſta domo efferri video, num alienum exiſtimare debeo?IV.Si Critoboli eſſet, non iam Hercle exportaretur. CHA. Immo verò exportatis,vt abſcõdatis alibi. CRI.Minime per Iouem, immo volebam illi reddere,qui vtendum dederat.LI. Vultis ne me eſſe arbitrum?CHA. Per me non ſtabit ſane.IV.Neque per me quidem. LI. NũcCharine ita cenſeo,ſi videtur,vti apud me dolium deponatur,ac ſi hoc toto biduo planum Iulianus fecerit eſſe ſuum, vt id auferat,ſed ſi id non poterit,perferat quod eſt reliquum.IV.Perplacet mihi.CHA. Ita ſane volo.IV.Hoc ego poſſum tibi facere planiſsimum,eſſe illud meum. CHA. Si id tu feceris per me non ſtabit,quo minus ſtatim auferas.CRI.Tu mihi videre parum prudenter facere, qui in dubium voces quod con ſtat liquido,et ius controuerſum facias.

GE. Verũ Hercle dicit. Quid eſt opus tranſferri alio? Quin potius iſthic apud Critobolum maneat, CHA. Hoc verò è re mea nõ arbitror. Quid ad te attinet? Num tua res agitur? GE. Sane fortaſſe mea. Reſpondere volo. CHA. Ego repugno. GE. Plus fortaſſe ad me attinet, quã tu exiſtimas. LI. Ad te verò. IV. Hoc ego nõ feram. LI. Sed eſto ſane attineat, num domi meæ parũ tuto relinquetur? Quaſi verò alteri dũtaxat ſim amicus, vt alterũ debeam lędere. IV. Te arbitrũ legimus, tuo arbitratu ſtemus neceſſe eſt, ac penes te deponatur. CH. Hoc ipſum volo. LI. Agedũ, trãſferatur hùc intro. Pro certo habetote, niſi liquido de iure cõſtet, me nõ paſſurũ moueri loco. GE. Flauius intus eſt, quid poterat incõmodius accidere? Magnis hodię vndiq; circũuenimur anguſtijs. LI. Magis tua intererat Critobole, domũ regredi, ac videre ne quid iſti ſatellites domo auferãt, quod erit lõge tibi incommodius. CRI. Quid illi auferãt, vbi nihil eſt? Quidquid id eſt, vxoris meæ eſt. Iam illis pridem et ſæpe aliàs exploratũ eſt. Ibo tamen. Sed eccos ipſi produnt.

SCÆNA SEPTIMA.

CÆPASIVS. LONGARENVS. GRANIVS. IVLIANVS. LIVIVS.

CÆPASIVS.

NIhil præterea quam quod solemus intus offendimus, et dotis inuentarium. LON. O furciferos prædatores, meum mihi pallium per Iouem inuolastis. CÆ. Tu Hercle iniurius est ô homo, qui nihil merenti maledicis. LON. Nebulo, furcifer, quid hoc tandem est quod sub veste occulis? CÆ. Hoc ego pro mercede abstuleram, non sane vt furtum facerem. LON. Ego iam tibi Hercle mercedem persoluam, nisi me pertica destituit. GRA. Nec ego segnius tibi iam præstabo operam. IV. Non ego Hercle otiosus interim spectabo. LON Arripe saxum Grani, arripe inquam, et caput illis comminue. Ah, multum tu ignauus es. CÆ. Ita ne magistratibus vim afferri, et principis ministris? LON. Non amat princeps furaces ministros, non ra-

paces. Ite in malã rem prædatores, ite quo digni estis. Si parum cessassem, quã illi mihi perbelle pallium inuolauerant. Mihi autem seminudo redeundum fuisset domum, ac Pol gratiam huic habeo perticæ, quæ mihi auxiliata est, quæ mihi vel hastæ, vel pili vsum præstat. LI. Restat ne vobis aliquid metiendum? LON. Ad extremum vsq; angulum permensi sumus, ligna omnia, nec palmus deest, atq; in hoc quidem commentario, summam notatam defero. Reuocabitur res ad calculum, ac tibi rationem de pretio reddam post, planissimam. LI. Quãdo? LON. Iam nunc hodie. Num aliud vis? LI. Nihil sane modo. LON. Vale. LIVI. Et tu. Heus Licinia, si quis me quæsierit illũ mittito ad tonstrinam Fabricij, illic me vsq; in noctem inueniet.

SCÆNA OCTAVA.

LENA sola

QVod erat in improuiso malo maxime optandum, vt Liuius foras discederet,

id euenit. Alioqui quî liceret nobis è dolio Flauium educere? Dispeream nisi vbi hùc transferri sensi, pene exanimata concidi. Ita mihi cor subsultabat, ac difluebam sudore. Nam vel respiratio, vel sternutatio, vel tussis, vel motus aliquis leuissimus, potuisset illum prodere. Modò quando hoc periculũ euasimus, videndum est ne aliud accidat. Itaq; foras quãprimum emittatur Flauius. Ibo vt vestes Geta illi afferat, amandari tamen prius oportet aliquò famulam, quæ intus est, ne illum prodeuntem videat. Itaque euocabo, et amandabo hinc aliquò. Heus Licinia, mihi hùc euocato Cynthiam hùc prodeat. Heus, non prodis Cynthia?

SCÆNA NONA.

CYNTHIA. LENA. GETA: CRITOBOLVS.

CYNTHIA.

QVid tu tibi vis? LE. Vnam mihi quęso operam commodato, sic te Dij ament

Cynthia,quo me tibi perpetuo obſtrictam reddas.CYN.Qua in re?LE.Hoc primum promittas velim.CYN.Si quidem potero. LE. Agè ergo ſoror ſi me amas, ad forum vſq; ito. CYN. Faciam. LE. Iam oportet. CYN.Permitte prius pulmentarium foco inferam.LE.Non tu credis hoc me poſſe facere? Abi tu cõtinuò ſoror,atq; vbi ad templum perueneris,illinc ad porticum regiã deflectito,ad ſiniſtram via eſt,ac cuius mediũ vbi perueneris,illic domus eſt. CYN. Cęterũ quid tu me illic vis facere?LE.Male ſit memoriæ meæ,quod primo oportuit dictũ,id prorſus omiſeram.Tertia eſt domus vt arbitror,illic habitat Lelia Albini vxor, quæ puellularũ ludo præeſt,illi dicito meo nomine illã mihi capſulam reddat, quam à me cõmodatò habet:eſſe mihi opus.Abi ſoror atq; hoc mihi cõfice,nõ deerit tuũ tibi munuſculũ.CYN.Ego eo: tu interim pulmẽtarium parato.LE.Parabo Ædepol.Verum nolim ego interea Flauius occaſionem nactus,libidinem ſuã expleat,atq; vbi eluſerit me, miſſam faciat.Noui ego iſtorũ adoleſ-

lescentum libidinem, quæ quãdiu reprimitur efferuescit maxime, vbi facta sit potiundi copia continuò languet, neq; secus atq; ignis aquula insperſa restinguitur, refrigerato verò ardore, ne teruntium quidem ab illis expectes. Quam ob rem introire volo, atq; interrumpere si quid illi moliuntur. Heus Geta, abi actutum et vestem affer, vt illum hùc emittamus, dum est locus. GE. Immo verò dum est locus, ne tu illis inuideas hãc occasionem. LE. Non Ædepol faciam, neq; tu me tam stultam putes, vt sine pecunia hãc ego illi operam commodem. Immo verò quo id minus speres, iam intro redibo, et obseruatrix adero. GE. Obseruato quantũ volueris, quod tibi male vertat. Ita ne tandem hoc pati potero, vt Flauius re infecta discedat à Licinia? Et totum hunc hodie laborem incassum pertulerit? Vt euigilauerit à media vsque nocte? In hoc dolio inclusus delituerit quasi aut testudo, aut cochlea? Et hùc translatus fuerit, non secus ac portari salsamenta et pisces solent? Ea igitur omnia frustra

tole-

tolerauerit? Verum quid facias, cum ita aduersetur hęc venefica et eius maritus, apud quos neq; preces, neq; minæ, quidquam valent? Per vim autem multo minus expedit: quærēdæ næ igitur adhuc nobis sunt viginti quinq; minæ. Vnde nam? Nec est qui mutuo det, neq; penes me vlla fides. Iam illud prius commentum meum percalluit Hilarius, huic rursum vt tendam, nō sat tutum arbitror. Quanquam et aliquādo aues quæ semel auolarint, eadem repetūt retia, et eisdem sese laqueis implicant. Itaque fortasse erit facilius verba dare, quia me putabit nō ausurū, neq; erit suspicio, denuo me male tētatas repetiturū insidias. Quid igitur faciam? Quid faciam? Enimuero constituendum est iam tibi, neq; enim locus socordiæ aut segniciæ. Sic igitur instruam, sic apparabo omnia, vt facile ille sit habiturus fidē. Sed eccum Critobolum. CRI. Vbinam est vestis? GE. Quid tu me vestiarium putas? Non meam artem cognosti? Folles mihi in manu sunt vt tibi argētum conflem. CRI. Vtinam. GE. Permitte tu te moderandum

mihi.

mihi. Eſt ne tibi aliquod domi telum, ad inferendum vulnus? CRI. Sane perquã multa: paupertas primũ quæ me enecat, dehinc vxoris meæ rabies, quæ me maledicendo conficit. GE. Mitte iſta, telum dico, puta enſem, aut haſtam, aut pilum, aut aliquid huiuſmodi. CRI. Fuſcina mihi eſt peruetuſta rubigine obducta, tu vide qualis ſit, quã iſti ſatellites auferri noluerint. GE. Abi, atque illã hùc affer. Perbellum eſt. Quem tu me alcumiſtam eſſe dices, ſi ex hoc rubiginoſo ferro, aurum tibi conflauero?

Actus quinti, Scæna prima.

GETA. CRITOBOLVS.
Protaticæ perſonæ duæ.

GETA.

PRodi hùc, agedum prodi inquam. Quin tu hùc progredere extra limen? Quid tu timidus es? Quaſi non tu telum manu geſtes?

ſtes? Quem tu times, CRI. Ne forte me hîc cũ telo præfectus vrbis deprehendat, ac me in vincla cõijci iubeat. GE. Ah, nihil verere, dicam ego te ſatellitem principis eſſe, et erit ſane credibile, quod tu aſpectu mirifice refers. Subrige caput, et torue intuere, ac te minabundũ finge. CRI. Quonã pacto? GE. Peierãs, ac deierãs. Hem ſic tene, hũc te cõuerte. Vultum horrendũ ac terribilem aſsimula. Verũ næ ego ſtultus ſum, qui iſtũ aſinũ leoni velim ſimilẽ facere. Bene tamẽ habet, in tẽpore video Ligurinũ, et Calphurnium hũc veniẽtes, his equidẽ vtar ad hoc negotiũ. Saluete cõpotores belliſsimi. LI. Salue et tu Geta: vin tu nos aliqua compotatiuncula recreare? GE. Et quidem libenter, ſed ſplendidius adhuc excipere vos velo. CAL. Vtinam. GE. Si vel ſemihoram hic manere libeat, ſinguli ſingulas minas reportetis faciam. CAL. Hem tibi pręſto ſumus, et quidẽ habebimus gratiã. GE. Vt vos ſciatis, duo ex his qui cauponariam faciũt heri magnam vim caſei emerũt, eamq; duobus plauſtris impoſitã, ac diligenter paleis cõte

ctam,

ctā,ne deprehendantur hùc importāt,neq; quisquā est cōscius præter me,qui negotio interfui. Illi tamen nō soluto portorio,neq; impetrata venia inferēdi in ciuitatem, hùc importāt. Hoc ego cum scirem,rem aperui huic vicino meo,quē vos procul videtis cū fuscina,vt vbi hùc plaùstra peruenerint,ille impetu facto explorare incipiat, quidnam intus lateat. Vbi caseum deprehēderit, clamare incipiat ac minari, se rem ad magistratus delaturū. Ego tūc me vltro offerēs, assimulabo velle me lites eorum cōponere, ac ne res ad magistratus deferatur,æquum esse aliquid illū accipere. Sed ego vereor satis vt sibi cōstet,ita timidus est, et ignauus. Si vos hanc operam vultis mihi cōmodare, facietis gratissimum. LI. Immo te oramus. vti velis,ac lubenter quidē lucrū tecum partiemur. GE. Ergo hìc consistite,tu hùc accede, et intētis oculis serua,vt cumprimū transierint irruas, tu autem hìc stationem tuam seruabis. Intenta mihi iam tormenta sunt,et admotæ machinæ. Nūc adeste astutiæ,succurrite,quę paulo ante profligatę ac dissi-

dissipatæ, arripuistis fugam. Nũc optarim occurrat Hilarius, vbi belle omnia instructa sunt. Sed eccum per Iouem commodissime. Si primum impetum sustineo, post facile debellauero.

SCÆNA SECVNDA.

HILARIVS solus.

QVam pene in laqueos incideram, quos ille veterator mihi instruxerat, nisi bona hùc fortuna illum misisset adolescentulum, qui mihi insidias aperuit. Id nimirum agebat vt arbitror, vt Flauium ad vestes vẽdendas induceret, vt ea pecunia in popinis et ganeis, et meretricibus insumeretur, ac bona inde pars decideretur illi. Ego vero satis credulus qui illi fidem haberem, aliam iam tunicam et togam, totumq́; ornatum æque splendidum, emere destinaueram, vt hanc illi ægritudinem leuarem, et exhilararem animo. Nondum tamen scio, quam ob rem ita mecum agat meus Flauius, qui tam sim indulgens in eum pater, vt vix quemquam

quam esse credam, me vel faciliorem, vel lemorem, qui eius studijs non inhonestis obsecundem. Sed quidquid hic mali est, Geta illi author est. Quam ob rem non patiar illum diem vnum esse domi amplius.

SCÆNA TERTIA.

HILARIVS. GETA.

ITa ne furcifer venire in conspectum audes? GE. Ah, bilem potius istam per Deos comprime ô here, neq; sinas pietatem ab illa expugnari. HI. Scilicet, modò collachrymatur. GE. Te magis oportebat collachrymari, cuius gnatus. HI. Iupiter. GE. In summo est periculo. HI. Periculo? GE. Et vitæ quidẽ, nisi celerrime subuenitur. HI. Quid ita? Dic, age dum vbi est? GE. Critobolus illum in adulterio, cum vxore deprehendit. En tibi illum cum hasta vt illi necem inferat, et hosce duos sibi aduocauit, et alios tres ex suis necessarijs expectat. HI. Et ille vbi est? GE. Quis nam? Flauius intus est: isti carnifices illum obsident. HI. Vbi intus? GE.

In domo Liuij. HI. Adest ne Liuius?. GE. Si quidem ille adesset, non tantum esset periculum, vna dumtaxat adest virguncula eius filia, tu vide quam hæc posſit illi opitulari. HI. Si Critobolus illum domi ſuæ cum vxore deprehendit, quì nunc eſt in domo Liuij? GE. Rem à principio audies. HI. Neque addideris, nec detraxeris. GE. Dicam Herclè vt geſta res eſt. Imprimis tamen te admonitum volo, quã hodie narraui fabulam de illis nocturnis inſidijs, et inuaſione Flauij, non me ideo finxiſſe, vt nocerem tibi, ſed vt argentum quo ſciebam eſſe opus ad ſalutem filij tui, minore cum moleſtia impetrarem. Quod cum non ſucceſiſſet, eò deducta res eſt, vt maiore in periculo res nunquam antehac fuerit. HI. Narra obſecro. GE. Hodie cum Flauius domo crederet abeſſe Critobolum, idq; etiam eius putaret vxor, in intimum ſe conclaue recipiunt. Ibi dum ſe credebant eſſe in tuto, en tibi ille cucculus in illos irruit, idem illud telum manu tenens, vt Flauio vitam eriperet. HI. Vt mihi trepidat cor. GE.

Fla-

Flauius verò supplex illi ad genua accidit, tantumq; orando ac multa pollicendo effecit, vt vitam ab illo redemerit. HI. Me mihi reddidisti, si quidem pecunia sedari turbæ possunt. GE. Nondum audisti omnia. HI. Quid est? Perge. GE. Tandem conuenit inter illos, priusquam domo egrederetur; viginti quinque minas illi numeraret. Itaque me ad Iulium cum vestibus mittit, vt hoc illi argentum cõficeret. Sed interturbata res est, per illum adolescentem, quem tu hodie vidisti. Itaque in summo discrimine, nisi tu subuenis, Flauius est. HI. Si iam inter illos ista conuentione transactum est, quid illi noceat? GE. Audi. Adhuc Critobolus qui se delusum putabat, non numerata pecunia furens rapiebatur ad vindictam, arripit telum, neque contineri aut coërceri ab insania poterat. HI. Peccatum abs te est, qui ad me non illico accurreris. GE. Neque scio quo modo ille elapsus est, tantùm Deos omnes illi scio fuisse propitios. HI. Spurcũ illum homũcionem ausum, cæde intẽtare meo gnato? GE. Ac nisi arrepto

ſcamno quod in promptu erat, ad ſe tegendum magna cum dexteritate cedens è manibus fuiſſet elapſus, illic plane vitam reliquiſſet. HI. Itaq; ſaluus eſt? GE. Nōdum auſim dicere. HI. Tu me occidis. GE. Cum illum nebulo ille conſectaretur à tergo, neq; eſſet longius fugiendi facultas, in ædes Liuij quæ iuxta erant irrupit, en illico obſidetur. HI. Tātam ne eſſe audatiam ſordidi hominis et abiecti? GE. Neque id ſatis habet, ſed et homines conuocat vt intro impetum faciat. HI. Intro ne? Tam ne ego inops ſum et amicorum egens, vt nō poſsim reſiſtere ac male mulctatum, vt dignus eſt nebulo, dimittere? GE. Ah. Noli quæſo, neque ad vim decurras cum aliter ſubuenire liceat. Scis coitionem, et vim, legibus eſſe prohibitam, aliquamq; in eo tumultu cædem poſſe fieri, quod tibi magno conſtet: dehinc, tamet ſi tu potentior ſis vel ad reſiſtendum, vel ad inferendam iniuriam, prohibere tamen non poteris, quo minus res ad prætorem deferatur, et ille legē agat in filiū pro ſua poteſtate. Noſti autem quantæ ſint pœ

næ in adulteros constitutæ: neq; id satis est, sed si reos locupletiores esse intelligunt, augentur mulctæ pro arbitrio prætoris. Quã ob rem caueas moneo ô here, ne ludibrio sis ac prædæ regijs hisce canibus, qui auide inhiant si cuiusquam bona in medio sibi diripienda proponi videant, vt ea sibi à principe dono impetrent. Satius erit nunc exigua pecunia tot malis occurrere, et viginti quinq; minas pendere, quam vt in periculum venias amittẽdi omnia. HI. Satius fortasse erit, ipsum me cõuenire Critobolum, et explorare quid animi habeat. GE. Minime rerum, minime inquam, ne iracundia elatus aliquid in te contumeliosus dicat, quod tibi ferendũ non sit. Quin potius præstiterit, ego illum conueniam, qui noui hosce nebulones mãsuefacere. Tam placidum quam ouem iam tibi illum reddam, et illũ hùc conabor adducere, quod est magis è tua dignitate. HI. Abi igitur. GE. Hìc me mane. HI. Sed heus tu, nihil cũ illo de summa transegeris, vt mihi pactio libera relinquatur. Tenes quid velim? GE. Teneo. Tu ta-

tamen duabus minis plus minus ve, noli rem in discrimẽ vocare. HI. Abi. Scio quid in hac re agendum sit mihi.

SCÆNA QVARTA.

HILARIVS solus.

SAtius erit priusquã Critobolũ cõuenio, Liuium vt adeam, et ab illo discam num hoc perferendum sit, vt domi eius vim ille stolidus gnato afferat meo. Et si res cõponi potest, ille erit ad sedãdum optimus, qui est illis intimus. Spero me in tonstrina inuẽturum, vbi totos dies lusitat tesseris.

SCÆNA QVINTA.

GETA. LIGVRINVS. CALPHVRNIVS. CRITOBOLVS.

GETA.

NVnc agite ô boni, nihil est quod isthic otiosi moremini. Iam intellexi illos mutasse consilium quibus insidiabamur, et

veniam impetrasse inferendi suas merces, ac soluisse portorium. LI. Iam Herclè mirabar, tam nos esse fœlices. GE. Animus certe fuit vobis gratificari, per me non stetit. CAL. Sat intelligimus, et habemus Herclè gratiam. GE. Si quid erit aliud presto sum. LI. CAL. Vale Geta. CRI. Quid est actum Geta? GE. Cōfecta res est, vltro iam tibi faxo viginti quinque minas offerat Hilarius, et quidē gratias agat, quod velis accipere, modò tu fabulæ subseruias, et mihi optem peres, vt ego te iam instituam, vbi istud telum reliqueris. Abi iam et illud repone, ac ne morare. Verū audi. CRI. Quid vis? GE. Quando de pecunia nihil est pericli quæso te sodes, hisce amātibus locum date, vt sese oblectēt, priusquam aut famula, aut Liuius redierint. CRI. Ah. Temporis est satis, si redierit non licebit illam amandari hinc denuo? Huius autem timendum non est vt redeat, qui nō nisi nocte domum regreditur. GE. Abi igitur atq; istā dimitte fascinam, continuò redi, vt viginti iam tibi quinque minas annumeret Hilarius.

SCÆNA SEXTA.

GETA Solus.

BEne nobis Hercle procedunt mẽdacia, et noſtra acies quæ ferè inclinata ceſſerat, in ſuum eſt reſtituta locum. Quid ego hinc aliud quam triumphum ſpero? Expugnaui tandem loculos Hilarij, quos neſcio quæ mala fortuna nobis occluſerat. Verum quem ego introeuntẽ video? Quis ille eſt? Exi dum Critobole, exi inquam, age dum, accurre, ſubueni.

SCÆNA SEPTIMA.

CRITOBOLVS. GETA.

ECcum me. GE. Abi ac vide, ne deprehẽdatur Flauius. CRI. Quis intus eſt? GE. Ille iuuenis qui vocatur: diſpeream: propera, Sanio inquam vocatur. CRI. Sanio? Malefactum. GE. Sanio inquam? Vide te hominis celeritatem. Verum næ ego ſtolidior ſum, qui huic noſtra cõſilia commiſi beluæ. Sed eccam aliunde Cynthiam. Dij

voſtram fidem, omnia cõcurrunt quaſi ex induſtria ſimul infortunia, omnes in nos calamitates irruunt. Sic me vrgeri ſentio, ſic diſturbata conſilia, vt prope deſperem in melius reſtitui poſſe.

SCÆNA OCTAVA.

CYNTHIA Sola.

DIſperеam ſi vnquã poſthac Lenæ operam commodauero, quæ me miſeram tota vrbe exercuit, à foro ad templum, à tẽplo ad macellum, inde in alium atq; alium vicum curſito, ianuatim rogans, vt mẽdici ſolent, vbinã habitarent Albinus aut Lelia, nihil cõperio: vbi demũ defatigata fruſtra ſum, hũc redeo. Næ illa poſtremum hodie mea vtetur opera. Sed hoc me male habet, quod herus mihi ſe tulerit obuiam, quem neſcio quid altercãtem cum Hilario in me dia nunc offendi via. Rogat ille quid mihi vellem. Ego me à Lena miſſam dicere. Ille ſuccenſere magis ac magis, quod Lenæ paruеram. Itaq; dabo operam ne quis me iterum domo, hiſce artibus extrudat.

SCÆNA NONA.

HILARIVS. LIVIVS.

PRodieram vt conuenirem Liuium, quẽ ad haſce turbas componẽdas credebam aptiſsimum. Neque enim noueram, quam ille huius vxorem adamaret perdite. Vbi primum dixi illam deprehenſam cum meo Flauio, ſic iracundia exarſit, ſic in rabiem actus eſt, vt difficilius mihi iam ſit illum placare, quam maritum. Sed eccum venit. Moue te ocyus, quæſo, ne aliquid deterius iam accidat, niſi in tempore adſumus. Sine hoc à te impetrem, ſodes ſi me amas. LIVI. Neque poſſum, neque ſi poſsim, tantam cõtumeliam feram, vt illa venefica tot acceptis beneficijs, me habuerit ludibrio. Næ illa haud inultum feret. HI. Si illa te læſit, ab illa pœnas expete. Hoc dumtaxat rogo, ne meo gnato vim fieri domi tuæ ſinas. LI. Ita ne vt puerulum mihi præferret, quem quidem filium habere poterat, à quo præmij expectet nihil, qui illam ludibrio habitam, atque irriſam, paulo poſt relinquat?

HI.

HI. Non ſane credebat meus filius iniuriam ſe tibi facere, aut tuam rem agi. Alioqui te fuiſſet reueritus, LIVI. Hoc nimirum erat in cauſa quod quindecim ab hinc diebus, tam ſe mihi præbebat intractabilē. HI. Non iſthuc agis? Ah, ne quæſo tantopere iraſcere.

SCÆNA DECIMA,

SANIO. HILARIVS. CRITOBOLVS. LENA, LIVIVS,

SANIO,

EGo hiſce vidi oculis, tacere nō potero. HI. Multum nos ceſſamus, iam intus tumultum audio, adiuua me obſecro. SA. Eo hinc rectà ad herum, vt illi veſtra aperiam ſcelera, CRI. Audi Sanio. SA. Satis ſuperq; audiui. CRI. Ah. Noli. LI. Quid hoc rei eſt? CRI. Tantas vnus excitare iam turbas? SA. Si mihi Herclè intereundum eſſet, non celarem tamen. LI. Ah, mane paululum,

lum, auſcultemus quid ſibi velint. CRI. Mane Sanio, mane inquam, atq; audi. SA. Mitte me Critobole, neq; exiſtimes me tacere poſſe. LE. Quid tu taceas, aut dicas nebulo, quod male tibi vertat? Quid tu vidiſti furcifer? SA. Vidi Hercle Liciniam, et iſtum adoleſcentem Hilarij filium. HI. Lenam ille, non Liciniam, voluit dicere. SA. Simul cõplexos. LE. Tu mentiris Ædepol. SA. Sed eccum Liuium. Nihil te celabo ò here, neq; patiar vt in me fidem deſideres. Gnatam tuam deprehendi cum. LI. Tace belua, vin tu hoc tota vicinia exaudiat? Hoc vero Hilari ferendum non eſt, vt ita tuus gnatus hanc iniuriam inultam ferat, nobiſq; ita ſuperbe illuſerit. Non feret Hercle impune: quid hoc fabulæ erat, de Lena mentionem facere, cum meæ gnatæ ac mihi, iniuria illata ſit? HI. Sic Hercle audieram à Geta. LI. Hoc vero tolerãdum non eſt Hilari, res eſt ſeuere vindicãda. HI. Te obſecro Liui. LI. Ah. Noli me obſecrare Hilari, eiuſmodi tibi res videtur, quam ego diſsimulare debeam? Tametſi tu ſis vel locupletior, vel generoſ-

nerosior, non propterea nos debes contemnero, animo certe nõ tibi cessero. Priusquã Flauius domo exierit, iam ego in illum exẽplum ædam, ne quis post hac nostræ conditionis hominibus, illudendum putet. HI. Per paternum te amorem oro, à quo tu alienus non es, mei te atq; Flauij, misereat. LI. Paternus me amor ad vindictam excitat. HI. Per nostrã amicitiam. LI. Si tu hic esses sentires aliter, ac multo difficilius ignosceres mihi. Honoris mei habẽda est ratio, potius quam amicitiæ tuæ, aut omnium quot quot viuunt. Ignoscas velim. Ego potius vitæ, quam honoris mei iacturam fecero. HI. At, si hoc saluo fieri potest. LI. Vno verbo dicam, si tu Hilari, hoc vis vt quando filius tuus hanc iniuriam intulit gnatæ meæ, illã vxorem ducat, et qua licet hanc ignominiã resarciat, constabit amicitia inter nos, aliter nullo pacto. HI. Mane, quinquagesimum iam annum esse arbitror Liui, ex quo hæc inter nos notitia est: quo quidem tempore quam mihi semper æqua et honesta cordi fuerint, arbitror intelligis, quamq; tibi nostra

nostra amicitia non infructuosa fuerit, potuisti hactenus aliquot experimentis deprehendere. Idem est animus, eadē mens quæ hastenus, neque tu me alium factum putes. Quod in rem tuam esse sentio, id equidem faciam ac lubens; sine prius Fabium alloquar, et quid hoc rei sit ab illo edíscam, tūc per me non stabit, quominus tuo honori consultum sit, et tuo arbitratu facias. LI. Eamus intro. HI. I præ, sequor.

SCÆNA VNDECIMA.

CRITOBOLVS. LENA.

NOn tu vides Lena, quo nos nequitiæ, ac libidines adduxerint tuæ? LE. Quis tandem in culpa est? CRI. Immo verò eos rogato qui ad palum deligantur, quis illis in culpa sit. Malus tuus animus. LE. Immo verò tua voracitas heluo, quæ te ad extremam redegit inopiam, ac nisi ego subuenissem quæ me omnium prostibulum feci, iam tu Herclè fame interijsses: modò istam refers pro beneficio gratiam. CRI. Non

ego id in te reprehendo. Quod modum nō habeas in tua libidine, id est, quod reprehē do. LE. Tu de hac re verbum audes facere nebulo? Si me Hercle tibi auscultassem nulla me peruulgatior fuisset in lupanari meretrix. CRI. Nimirū, permittebam tibi, quod sentiebā te velle maxime, alioqui quis tua iurgia ferre potuisset? Quod tamen, si prohibere vellem, frustra facerem. LE. At Dij te perdant omnes stolide. CRI. Satis Pol perdiderunt, qui te mihi vxorem dederūt. Non sat erat quod te ipsa pro libidine abuteris, idq; ego viderem ac paterer, nisi alienas virgines hominum honestorum tui similes velles facere? Teq; ad eam rem ministram præberes? LE. Si mihi hæc forma et ætas perpetuò esset duratura, non Ædepol alias tentarem artes, satis enim hoc nostrum institutum me ac te alere potuisset: idq; mihi fuisset facillimum. Verum prospiciendum est in reliquam ætatem, ne nos senecta inertes occupet. Addiscenda aliqua ars dum licet, dumq; ætas sinit, ne postea vbi velis frustra velis.

Nulla

Nulla verò aut quæstuosior est, aut facilior, quam ista lenocinandi at perducendi ars, quam in pręsentia meditor. CRI. Ferri hoc poterat, si in alijs fecisses periculum, neque Liuij domum contaminasses, cui scis quantum debeamus. LE. Tu non conscius à principio fuisti miserrime? Modò vbi cōsilium infœliciter cessit, me vnam reprehēdis, in me commune peccatum transfers. Quasi verò si argenti copia esset facta, non tu maiorem partem tibi postulares. CRI. Mitte modò: prodit Cynthia.

SCÆNA DVODECIMA.

CYNTHIA. LENA.

ITa ne tandem Lena, visus est tibi dignus cui hanc iniuriam faceres, Liuius? LE. Quam ego malum illi iniuriā feci? CYN. Nullam verò? LE. Nullam Ædepol. Ac si Pol rationem habuissem quid ille mereatur, iam ego illū vt dignus est, vlta fuissem. CYN. Tu Pol animum in illum aperuisti tuum. Verum dum studes malefacere, bene

fecisti maxime. Nam vnà occasionem dedisti, vt filiæ maritum ex animi sententia daret, quo nullum meliore loco aut re, ne optare quidē potuisset. LE. Dabit ne illi eam vxorem? CYN. Immo verò iam dedit. Nullo negotio confecta res est: iamq; ita inter Hilarium ac Liuium cōuenit. LE. Tametsi senem illum pessime oderim, gaudeo tamē sic me Dij ament, Liciniç bono, cui bene et ex animo volo. CYN. Nisi hunc animum deponas ô Lena, omniū es iniquissima fœminarum: ille cum iustis de causis tibi perpetuo deberet irasci, continere se tamen nō potest, quin te amet, neq; dissimulare potest quàm ægre ferat, quod in te hodie acerbior fuerit, eamq; putat occasionem fuisse, vt hasce illi turbas concitares: ac mihi dixit se cum ab Hilario accepisset, te deprehensam cum illo adolescente, penè exanimatū concidisse. Postea vbi re comperta intellexit esse filiam, recepisse animum, ac penè reuixisse. Tu vide quàm illi sit in animo tecū redire in gratiam, præsertim cum res illi fçliciter cesserit. LE. Sane vt lubet. Si ille per

git idem esse erga me qui antea fuit, per me non stabit quominus me vtatur eâdem, erga se. CYN. Vis verum audire? Ab illo missa hûc venio te vt orem, ne pergas sibi irasci. Eundem esse se ac semper fuit. Prohinc tu eadem vt sis. Et hac te nocte ad cænam inuitat, ne soli scilicet Flauius et Licinia, núptias celebrēt. Intellextin? LE. In me nulla est mora. Vos spectatores, agedum plausu ostendite placúerit necne nostra vobis fabula. Valete et plaudite.

Finis.

Fabu-

Fabulæ inter-
locutores.

CRITO,	Senex.
LIVINVS,	Senex.
LESBIA,	Nutrix.
LELIA.	
DROMO,	Seruus.
FLAMINIVS,	Adolescens.
SANIO,	Seruus.
EVLALIA,	Cynthiæ famula.
FABIVS.	
DVLIPPVS,	Seruus.
ALBINVS,	Pedagogus.
FABRICIVS,	Adolescens,
LIGVRINVS,	Seruus.
LVRCONIVS.	
SCARIVS.	

IOANNIS Petrei Toletani,

COMOEDIA DECEPTI.

Actus primi, Scæna prima.

CRITO. LIVINVS. Senes.



I qua in re mihi gratificari ſtudes, quod tu mihi ſæpe pollicitus es Liuine, da quæſo te operā ſodes, vt quamprimum liceat, hæ conficiantur nuptiæ, meq; hoc ſuſpendio libera, in quod me imprudētem, neſcio quod fatum penè adegit. Quod ſi te illa cura remoratur, vnde ſumptus, apparatus, ad eam rem, (Scio enim quantam in miſerabili direptione vrbis Romæ iacturam feceris,) ne diſsimula, ne cela, eſt Dijs gra-

tia vnde hos ego sumptus facere possim. Neq; id erit molestum, dummodo fiam vo ti compos. Scis quam non sit in herba nostra messis, quamq; indies in senium vergat ætas, tantoq; minus superesse viæ, quãto propius ad metam accedimus. Noli quæso mirari si tibi molestior in hac re sum, vix enim somnum oculis capio ab eo die, quo mihi hæc cupido incessit, idq; iam experimento potes deprehẽdere, cui me tam mane obuium habeas, iamq; dudum ante euigilaueram, ac ne te excitarem sacris interfui. Quod si sententiam mutasti, neq; tibi nostra ætas cum filiæ annis videtur conuenire, qui iam sexagesimum attigi, vel potius sim egressus, ne celato, morigerabor equidẽ tibi, atq; alio vertam animum, teq; ac me molestia liberauero. Scis enim quam nostram affinitatem multi ambiant. L I. Neq; hæc neq; alia res vlla impedimento esset, quominus ô Crito, tibi filiam despon derem, si in me vno situm esset. Quamuis enim naufragium pene fecerim omnium rerum mearum, filiumq; mihi charissimũ

Fabricium amiſerim in illa vrbis vaſtatio-
ne,tamen Dijs gratia eſt adhuc non angu-
ſtum patrimonium, vnde hoſce ſumptus
poſsim tolerare,ac per me tum veſtes,tum
reliquum omnium apparatum,filiæ ſuppe
ditare. Neq; is ego ſum qui fidem aut muta
uerim,aut velim mutare,modò id fiat non
inuita virgine. Scis enim quam turpe ſit
mercatori fidem negligere. CRI. Hanc qui
dem ô Liuine,facilius in verbis quam in fa-
ctis hominum reperies. Quanquam ego te
iſto ingenio eſſe non arbitror. Verum cum
diem de die duci videam, ac me differri,
neſcio quid cogor ſuſpicarier. Neque ego
te tam ignauum patremfamilias expertus
ſum, qui vbi velis non tibi filiam facias eſ-
ſe morigeram. LI. Dicam iam quod res eſt.
Ego hinc profectus ſum Bononiam, vt ipſe
noſti,vt paulum quid pecuniæ conficerem
quod erat conficiendum mihi. Interea ne
inter famulas domi,atq; ancillas filia eſſet,
eam in ludum honeſtarum puellarum de-
di,cui eius matertera præeſt: vt ibi interea
aſſeruaretur, et inſtitueretur, quoad ego

re-

redirem. Adhuc ad me non venit, ſcis enim me heri ſub noctem reuertiſſe. Nunc ego illam reduci ad nos per famulum iuſsi. CRI. Pro certo habes eam illic eſſe, neque aliò egreſſam? LI. Quid malum aliò egreſſam? Quo nam tandem? Quid ſibi vult hæc percontatio? CRI. Non temere eſt, namq; ego illùc non ſemel acceſsi priuatæ rei gratia, neque vnquam videre potui, nec defuerunt quæ dicerent, apud ſe non eſſe. LI. Fortaſsis hoc agunt vt apud ſe retineant, ſperantes ſcilicet ad ſe poſt mortem vnà cum filia, rem noſtram peruenturam. Verum næ illæ falſò ariolantur ſibi. Neque enim ego tam me decrepitum puto, qui ſi vxorem duxero, quod iam equidem ſpero, non poſsim vel binos liberos procreare. CRI. Quid decrepitum? Non bene accipis Liuine: ad eam rem tam me Hercle vegetum ac valentem ſentio, quam cum vigeſimum quintum agebam annum. Tametſi enim mentum incanuit, nondum tamen robur emarcuit. Geſtiant licet, ac laſciuiant ij

adoleſcentuli imberbes, nollem tamen alia me parte ab ijs, quam curſu et paleſtra ſuperari. LI. Satis in te video animi modò reſpõdeant vires. CRI. Reſpondeant? Eius rei periculum penes tuam Leliam erit. LI. Ah, adhibendus erit tibi modus, nam tenerior eſt quam putas. CRI. Quid ais? Quæ eſt ætas? LI. Tredecimum agebat annum cum in illa vrbis calamitate, in manus militum venimus. CRI. Flos ipſe: neq; adultiorem, nec teneriorem optarim. Veſtimentorum verò mihi ac reliqui ornatus mũdi, ſuppellectilis tanta eſt copia, quanta vix cuiquam Mutinenſium. LI. Gaudeo et illius, et tuo nomine. CRI. Da ergo operam ſic te Dij bene ament. LI. De dote quod inter nos cõuenit. CRI. Ah, putas me immutaturũ verbum vnum? LI. Vale modò. Sed eccam nutricem filiæ, commodè vt illam reducat.

SCÆNA SECVNDA.

LESBIA Nutrix. LIVINVS Senex.

Quid

QVid hoc augurij eſt, quid ſibi ſtrepitus et occentus gallinarum voluit, quibus tota domus perſonabat? Non temere eſt: nũ quã non hic cantus aliquid infauſtę, et inexpectatæ rei attulit. LI. Quid illa ſibi intus canit? LES. Aliud præterea quid accidit, quod ego in quam partẽ accipiam, neſcio. LI. Quid tu tecum obmurmuras Lesbia? LES. O ſalue Liuine, ad te ego iam conabar, ſed tu video me anteuertiſti, ita hodie antelucatus es. LI. Quid illud erat quod tecum muſitabas rogo? Num comminiſceba re quo nam mihi modo aut argentum exprimeres, aut aliquid munuſculi poſſes eblandiri? LES. Liberalem hominem, à quo iſta facile impetres. LI. Potes hoc tandem mihi dicere? LES. Fellis perbella quæ mihi erat in delicijs, cũ iam per quindecim dies abfuiſſet, hodie domum neque ſpectato regreſſa, cum in cubiculo meo murem inuolaſſet, hùc atq; illùc curſitans et laſciuiens, vini cantharum effudit, quod dono acceperam: ea me res male habet. LI. Video nuptiale auguriũ. Sed tu tibi vis alterũ reddi.

LES. Haud dubium id quidẽ est. LI. Num tu vide an ego recte diuinem. Sed quid de alumna tua Lelia? LES. Miseram illam, quã to illi fuerat satius, non nasci. LI. Quam ob rem quæso? LES. Quam ob rem dicis? Nihil aliud iam Crito tota vrbe prædicat, quã illam se vxorem habere. LI. Et verum prædicat. Quid enim non tibi videtur satis honestam in familiam dari homini opulento, et copijs omnibus habundanti collocari? Vbi neque priuignorum molestiæ, neque iurgia socruũ perferenda sint? Qui illam habeat loco filiæ? LES. Hoc est quod illæ ægre ferunt. Vxores namq; vxores esse maritis non filiæ volunt: qui perstrepant, qui subsultent, qui lasciuiant, qui vellicent, hos illæ amant, nõ quibus filiæ sint. LI. Tu tuo ingenio ac libidine omnes metiris. Quam quam et Crito mihi crede, mariti partes aget. LES. Si te id ex animo agere putarem, iam Ædepol extinctam vellem, ne huic nuberet. LI. Lesbia te nosse arbitror quam mea omnia interierint, quam prope nihil reliqui sit factum. Nunc dãda est opera,

ra, vt si quid salui est, ne dilabatur. Ne si quando Fabricius meus redeat, (quod Dij faxint) cum hæc mea omnia pro dote acceperit, ille sit miser fame interiturus. Nunc autem ea conditione Critoni dabatur, vt si intra quadrienium Fabricius non redierit, mille pro dote Florenos accipiat: si redierit, ducentos dumtaxat. LES. Hoc vnum scio, miseram illam fore. LI. Verum tu quãdiu est quod illam non viseris? LES. Quindecim prope dies, atq; hodie pridẽ illã volebam visere. LI. Vereor ne vt est mulierũ audacia, apud se illam velint retinere, idq; illi persuadeant, vt nos missos faciat. Tu abi atque illam quamprimum reducito. LES. Faciam equidem, tu vale.

SCÆNA TERTIA.

LELIA, adolescentulum agens, ementita nomen FABII. LESBIA, Nutrix.

LELIA.

Næ

NÆ ego omnium ſum fœminarum audaciſsima, quæ hoc cultu emẽtita maſculum, atq; hoc temporis, vixdum illuceſcente die, ſola ire audeam. Quid ſi nunc me quiſpiam agnoſcat, vel de facie cõiecturam faciens, vt eſt iuuenum licentia, oculis ſibi fidem velit facere, maſculus ne ſim an fœmina: iam ego audatiæ meæ pęnas luerem. Verum huius temeritatis meæ in culpa eſt, inhumaniſsimus ille atq; ingratiſsimus omnium hominum qui viuunt Flaminius, cuius me amor et hanc veſtem ſumere, et illi me in famulitium dare, quodq; eſt omniũ indigniſsimum, ad alienos me amores illi prębere internuntium coegit. Quod ſi quis audierit, adduci vt credat non poterit. Neque verò alia ſpe quã vt aſpectu libere frui liceat. Quamquam hactenus non incõmode ceſsit audacia, poſthac vereor quem ſit exitum habiturum tantum facinus. Pater meus rediјt, Flaminius ruri agere deſiјt: latere hic ego diu nõ poſſum, quin me facies prodat. Quod ſi fit, quid me poteſt vna eſſe miſerius? Fabula fuero vniuerſæ ciuitati.

Ea de causa hùc hodie processi, vt rem ad nutricem deferam, quæ harum omnium rerum ignara est: vt me consilio iuuet. Sed eccam hùc veniētem video. Quod optimū illa iudicarit id faciam. Sed experiri prius volo, an me illa hoc cultu posit agnoscere. LES. Non dubium est quin iam in vrbem redierit Flaminius, namq; eius ostium apertum video. Quod si rescierit Lelia, iam hùc conuolarit illico. Sed quem ego hic adolescentulum obseruātem video, et circumcursantem fores? Quid tu tibi vis? Quid te insinuas atq; inseris? Apage. LE. Salue Lesbia, quo tu tam mane? Nunquid ad tuas compotrices? LES. Abi hinc malum, lasciue impudens. LE. Parcius quęso, ne tam sæui. LES. Aut ego fallor, aut istum puerum sæpe me videre memini. Dic sodes vnde tu me nosti qui tam familiariter iocaris? Aperi faciem, atq; istam togam ab ore dimoue. LE. Dissimulas? Quasi me non noueris. LES. Quandiu tu pallio te inuolues, neque ego te, nec quisquam alius noscitauerit. LE. Secede hùc paululū. LES. Quo nam? LE. Hùc intro:

tro:quid modo nosti ne me? LES. Num tu Lelia es? Miseram me atq; infœlicem: mirum ni illa est. Væ mihi, hei miseræ quid hoc mali est filia? LE. Tu plane mihi videris insanire, iam discessero nisi te contines. LES. Num illa erubuit? Quid ais? Salua ne tibi res est? Cõsultum satis pudori? Ita ne paterno nomini, familiæ tuę, tibi, ac mihi ipsi cõsuluisti, quæ te educaui atq; instituí? Vix me contineo. Abi iam intro, abi ne te quisquã isto cultu videat. LE. Nõ tu te cõtines? Audi iam. LES. Non te pudet ita conspici? LE. Quasi verò ego prima id ausa sim, ac non innumeræ Romæ, et in nostra ciuitate cõspiciãtur? LES. Istæ sunt impudicissimę. LE. In tãta turba impudicarum vna latebit pudica. LES. Non iam ego sciam quid sibi isthęc velint, quorsum pararis? Quid tu cõtubernalium ludũ deserueris? Si hoc pater rescíscat, non iam in te exemplũ ædet? LE. Vtinam mihi vel vitã adimat, tanto me his facilius malis liberauerit. LES. Nõ tu mihi hoc potis es dicere? LE. Et quidẽ facillime si audies, ita et infortunium meũ et huius

con-

consilij mei rationem intelliges, et quæ me causa ludum deserere, atq; istam vestem sumere coegerit. Quodq; est potissimũ, quid ego in hac re facere te velim. Sed hùc interius à foribus secedamus, ne si quis nos colloquẽtes videat, rem deprehẽdat. LES. Tu me enecas, libera me quamprimum hoc suspẽdio. LE. Meminisse te arbitror in illa vastitate ac direptione vrbis Romæ, in qua frater meus Fabricius vel interfectus vel captus est; quantum ipsa periculum subierim ab hostibus capta, inter barbaros et immanes homines, de pudititia nõ semel periclitata. Post illa, omni penè re pro redẽptione soluta, cum pater accisis et aflictis rebus in patriam antiquam reuertisset, scis quam mihi vita insuauis et acerba fuerit, cum ab omni nõ solum amatoria cogitatione, sed quæ vel leuiter animũ posset recreare, spõte mea atq; iudicio abhorrerem. Neq; enim fas esse putabam, quæ illam infamiam militaris contubernij sustinuissem, aliquid me vel quietis vel lętitiæ capere: quin potius vita duriter et parce acta, cluendá esse labem

illius

illius temporis? LES. Quid tu mihi narras quæ noui optime? LE. Intereà cum hoc animo essem, Flaminius hic Calatinus cum eâdem conditione ac fortuna qua pater esset, et ex aduerso habitaret, familiarius se illi in amicitiam dedit. Itaq; frequenter hùc ventitabat, me videbat, obiter salutabat, nō nunquam innuebat, arridebat, suspirabat. Quæ tamē omnia sic ego accipiebam, quasi more quodam hominum et ingenio fierent. Vbi verò frequentius hæc et accuratius illū facere animaduerti, nūquam oculos à me dimouere, crebris suspirijs animū testari, primò mores hominis et ingenium, comitas, vrbanitas, vehementer placebant. Perculit illico ea res animum, amore illum mei captum esse, neq; leuior meum pectus flamma corripuit: ita illum ardentissime amare cœpi. LES. Et hoc quoq; scio. LE. Post illa, cum pater Romam concessisset, recuperandarum rerum suarum gratia, atq; imprîmis perquirendi gnati, me interea (vt tu scis) Mantuam amādauit, in amitæ meæ domum, vt illic asseruarer, nō sine summo ani-

animi mei dolore. Tu namq; testis es quantum lachrymarum effuderim, quam penè confecta discesserim. Interea hic perfidus me missam faciens, aliò animum suum trãstulit, post annum quo apud amitam manseram, hùc à patre reuocata sperabã læta me omnia inuẽturam, neq; mutatam eius fidẽ, de quo tam fueram benemerita. LES. Inepta, quam tu multos fore putas qui sibi in amore constent? Qui non se aliò atque aliò subinde conuertant? LE. Ita plane accidit, namq; vbi hùc regressa sum, intellexi non magis illum nostri meminisse, quam si nunquam amasset. Quod est omnium miserrimum, totum amorem suum ad hanc Cynthiam trãstulit, Critonis filiam: quæ præter quã quod pulchra est, tum et patri suo vnica est, nisi ille insanissimus senex ad vxorẽ rursum animum adijcit. LES. Immo verò persuasissimum iam habet, te sibi vxorem fore, teq; sibi à patre desponsam. LE. Næ illũ si quid possum, falsum habebit spes sua. LES. Sed hæc quæ narrasti, quid ad istam vestem faciunt, aut ad sodalitium deserendum?

dum?LE. Si me pateris pergere, iam intelliges. Vbi primum pater Roma rediјt, continuo illi Bononiam proficiſcendum fuit, rationum quarundam explicandarum gratia. Interea ne longius me amandaret, in iſtum ludum puellarũ cui matertera mea præeſt, cuſtodiendam dedit. LES. Perge, namq; iſthæc ego iam ante cognoueram. LE. Ibi cum eſſem, neq; alia de re quam de amoribus inter illas virgines colloquia eſſent, bono animo eſſe cœpi, meq; confirmaui, vt cuidam ex his quæ cõſobrina erat Flaminij, animũ meum aperirem. Illa diutius non paſſa me in iſta eſſe ægritudine animi, curauit vt ad noſtrũ ludum Flaminius frequenter veniret, quo mihi videndi atq; audiendi, ex retruſiore loco ſi minus colloquẽdi facultas eſſet, atque illa inani voluptate oculos paſcerem. Euenit aliquando vt fit, dum alijs atq; alijs de rebus colloquuntur, mẽtionem ille faceret famuli, quem illis diebus amiſerat, cuius ille fidem, diligentiam, induſtriam, ſupra quam dici poteſt ſummis laudibus efferebat, ac dicebat ſi eius ſi-

milem reperire sibi contingeret, se omnes res suas eius fidei commissurum, sibiq; intimum futurum. LES. Miseram me, vereor ne hic famulus aliquid apportet mihi. LE. Perculit illico ea res animum. Quid si ego hic famulus assimuler? Et pro eo ad illum introducar? Vbi ille discesserat, rem detuli ad Eulaliam, (sic enim erat virgini nomen) num hoc meum consilium probaret, quoniam tunc Flaminius agebat extra ciuitatem, an posset habere locum hæc nostra assimulatio? LES. Meritò ego semper timui, quorsum euaderes. LE. Probauit illa consilium meũ, et rationem edocuit conficiendi negotij. Ego verò à matertera mea venia discedendi impetrata, quasi euocarer à patre, vestes induo quas illa mea adiutrix mihi parauerat, quod fuit non difficile, quod fratris sui adolescentis apud se vestimenta seruabat. Itaq; tunc primum summo mane domo egredior, fuitq; illa cõmoditas quod extra ciuitatẽ tũc Flaminius in suburbano degebat. Rectà me ad eius ædes cõfero, ex pecto in atrio domus. Et sane habẽda est for

tunæ gratia, quæ omnes commoditates in vnum locum mihi contulit. Prodijt Flaminius quasi nihil aliud expectaret. Cõijcit in me oculos, rogat perhumane, quid mihi vellem. LES. Non tu ibi præ pudore ac metu, exanimata concidisti? LE. Immo verò cum me amor bono animo esse iuberet, cõfidenter respondeo Romanum me esse, et inopia rei familiaris adactum, familiam honestam quærere, in quam me darem. Tunc ille vbi me totam à capite ad pedes oculis perlustrasset, vt ego non mediocriter timerem ne me noscitaret, vbi satis fuerat cõtemplatus, placere sibi dixit, modò ego nõ grauarer, meq; apud se et liberaliter et perhumane tractatum iri, si benignitatem illius nõ aspernarer. LES. Cedo, qua spe aut quo animo id faciebas? LE. Quo tandem alio, quam vt semper viderem, interessem, audirem, alloquerer, contingerem, hoc tu parũ amanti esse censes? Deniq; si minus frui liceret, impedirem ne qua alia frueretur. LES. O stulta, quid hoc aliud est quã oleũ flãmæ addere? Quasi verò quidquã isthæc

tua diligentia tibi profit, quandiu animus tuus ignoretur? Sed cedo qua in re tuo vtitur ministerio? LE. Partim in mēsa, partim in cubiculo: atq; his paucis diebus ita iam mihi videor apud illum esse in gratia, vt si tam illi placerem meo cultu quam placeo alieno, nihil me posset vna esse beatius. LES. Me miseram, si iam in vulgus dimanarit ista fabula, quid tu ibi facies? Nonne satius fuerit mori? LE. Quis hoc peruulgare potest, cum præter te sciat nemo? Sed audi quid in præsentia facere te velim. Pater heri rediit, iam me ab illo accersitū iri existimo, tuū erit moræ mihi afferre quatuor aut quinq; dies, ne ille me interim euocari iubeat. Nō deerit quod ad eam rem asimu les. Vel dicito me cum mea matertera concessisse rus animi gratia, iamq; me redituram. LES. Qua tandem id gratia? LE. Dixi tibi Flaminium non ita pridem Cynthiæ amore captum, eaq; de causa frequēter me ad illam mitti cum literis, cum mandatis. Illa verò quæ me masculum esse credit, ita me perdite amare cœpit, vt nihil posit su-

pra excogitari. Ego verò fingo nullo modo posse me illi morem gerere, nisi Flaminium à se prius prorsus abijciat: eoq; res deducta est, vt sperem intra hoc tempus posse confici, atq; illam Flaminius missam faciat. LES. Atqui edico tibi iussisse patrem, vt te hodie domum reducerem. Quam ob rem nō Ædepol patiar vt domo discedas. Quin iam vestes tuas afferri faciam, nolo isto cultu conspiciare in publico, nisi me mauis rem omnem aperire patri. LE. Tu Pol me adiges ad suspendium, aut vt aliquò me præcipitem, vnde neq; tu, neque quisquam alius possitis reuocare. Sed iam me sentio accersiri à Flaminio, non possum rem absoluere, præsto sum: tu me ad horam domi mane. Vide tamen si de me quempiam rogaueris, vocari me Fabium, ne per imprudentiam rem prodas. Adsum here. Vale. LES. Mirum ni illa Critonem hùc venientem vidit, eaq; de causa hinc aufugit. Quid nunc faciam, aut quid cogitem? Rem patri aperiri non oportet, sed tamen modis omnibus subueniendum est periculo. Nolo tamen

men quidquam aggredi, nisi prius iterum illam conuenero.

SCÆNA QVARTA.

CRITO. DROMO Seruus. LESBIA.

CRITO.

SI Liuinus sibi constat, et hæ nuptiæ fiũt, nihil est iam quominus omnium hominum viuam suauissimé. Quid tibi videtur Dromo? DRO. Satius fore si tuis nepotibus consulas, ac mihi homini misero, qui domi tuæ detritus sum magno meo malo. Ego istam vxorem valde timeo, ne te hinc amãdet aliò. Quid illa factura sit satis Hercle scio. CRI. Ego illi animum iam explebo, ne in me quicquam desideret. DRO. Præter formam et vires. CRI. Sed eccam eius nutricem, tace, volo quasi ex insidijs adoriri, ac de mea Lelia rogitare. LES. O bellum adolescentulum, cui tenerrima virgo cõmittenda sit, quam verò apte videbitur collocata huic seni, vieto putido, ve-

ternoſo, capulari, laruæ buſtuariæ. Diſpeream, ni mallem illam meis manibus ſtrangulare. Salue Crito, tu mihi videris hodie multo quam ſoles adoleſcentior. CRI. O Dromo quam ego vellem, mihi liceret iſtá nunc eſſe. DRO. Quid malum ais? Apage cum tuo voto, quid tibi vis? CRI. Vt liceret mihi cõplecti, ſuauiari, meam Leliam dulciſsimam, melleam, ſaccaraceam, auream, lacteam, roſeam, quid iam dicam neſcio. DRO. Nos hinc ô here, domum quãcelerrime cõcedamus. CRI. Cur ita? DRO. Tu mihi Hercle videris febricitare non leuiter, neq; ſub dio manere tutũ fuerit. CRI. Apage nebulo in malam rem, ego me ſatis valere ſentio. DRO. Vide ſatis an caput doleat, aut vertigine laboret cerebrũ? CRI. Num tu belua hoc mihi perſuadebis, me mortuũ eſſe? Vna Lelia eſt cuius amore lãgueo, quę me mihi eripit, quæ me iugulat, conficit, enecat. DRO. Dij voſtram fidem, quid eſt delirare ſi hoc non eſt? CRI. Continere me nõ poſſum quin te auidiſsime complectar, ac deoſculer Lesbia. DRO. Iam hic plane

vin-

vinculis nobis alligãdus eſt. LES. Nolo mihi cum ſenibus emarcidis rem eſſe. CRI. Tam ne tibi videor conſenuiſſe? DRO. Puer eſt ſeptennis, nondum ædidit dentes. LES. Mihi verò adhuc iuuenis es. CRI. Hoc ego te velim perſuadere Leliæ. Quod ſi meas partes apud illam egeris, recentem iam à me ſtolam habebis. LES. Nihil eſt opus, amat te illa iam pridẽ, ſeq; abs te amari non putat, qui illi fortunam bonam inuideas. CRI. Ego ne? Nemo eſt omnium qui illi magis ex animo bene velit. Cedo quid in me illa deſiderat? Quid non placet? LES. Cœtera omnia facile patitur, hoc dũtaxat ait, videri te ſibi camellum, aut vrſum quẽpiam. CRI. Quid ita? LES. Quoniam iſtis pellibus quaſi quodam vellere hirſutus, et inuolutus incedis. CRI. Atqui ſuppetũt mihi ſi cuiquam alteri veſtes, et precioſiſsimæ et elegãtiſsimæ. Iam faciam Hercle ne hoc in me illa deſideret. Ego me ornare volo ſplendidiſsime. DRO. Sane ut qui non nouerunt hactenus te inſanire, intelligant. LES. Ego eo, vt illam reducam. CRI. Vbi

me ergo expectare iubes, vt illi me venienti ostendam? LES. Vbi velis, hîc in via. Sed patere me abire. CRI. Vix possum, tu quoq; sine vnà me tecum ire colloquentem. LES. Ah, non decet in via: vale. CRI. O te fœlicem. DRO. O te stultum. CRI. In animo est domum ire, meq; iuueniliter et magnifice exornare. Abi tu iam Dromo ac mihi vnguenta omnis generis emito. Volo enim me totum his oblinere, ac delibutum reddere. Accipe argentum.

SCENA QVINTA.

DROMO. SANIO.

SI quisquam est qui omne genus stultitiæ in vnum quasi saccum velit condere, is herum meum si cõcluserit, existimet nihil esse sibi factum reliqui. Presertim vbi nunc amare cœpit, quam est solicitus in se comẽdo, pectendo, exornando? Quin et noctu foras prodit, obambulat ædes amasiæ, domi testudinem arripit tam inconcinnam et dis-

diſcordem, quam ipſe ſibi eſt. Aptat vocem non diſsimilem, raucam, abſurdam, obtuſſam, ac me modò ad emenda vnguenta mi ſit, quod illi male vertat. Sed Sanionem Liuini ſeruum veniẽtem video. SAN. Putant iſti parẽtes qui filias in hoſce ludos mittũt, ſatis illarum pudori eſſe conſultum, nihil aliud illas quam vel literas diſcere, vel acu pingere, vel liberaliter inſtitui. Atqui nihil aliud illæ quam totos dies de fabellis amatorijs garriunt, ſaltant, luſitant, nugantur. DRO. Quid ſibi iſte vult? SAN. Quampri mum fores pulſo, illico omnes in atrio confluunt, ridere aliæ, aliæ innuere, aliæ inſuſurrare, omnes laſciuire, deniq; omnes de me ſibi ludos facere. DRO. Quo nam, et vnde Sanio? SAN. Quod tibi ac tuo herò male vertat, herilem filiam reducturus iue ram. DRO. Quid, nec dum reducta eſt? SAN. An verò perſuadet ſibi tuus herus, ſibi vxorem datum iri? Monſtrum hominis. DRO. Quid ni perſuadeat? SAN. Cenſes ne igitur hoc pulpamentum dignũ eſſe eius dẽtibus. DRO. Nequaquã per Iouem,

vt

vt dicam quod ſentio. Cedo quid illa dicit? SAN. Quid dicat, quam nũquam vidi? Neque enim ab illo grege laſciuiſsimo, quidquam comperti habere potui. Alia dicebat eſſe in horto, alia in cubiculo, alia in gynæcio, alia in triclinio. Ita ſuſpẽſus, irriſus, eluſus, inde diſcedo. DRO. Satis tu fuiſti ignauus qui intro nõ irruperis. Sed ego propero ad myropolas, nam iuſsit herus ſibi vnguenta afferri. SAN. Propera, quod illi male vertat.

Actus ſecundi, Scæna prima.

LELIA, Puerum aſsimulans nomine FABIVS. FLAMINIVS, Adoleſcens.

FLAMINIVS.

ITaquée ne verbum quidem exprimi ab illa potuit, quod eſſet placati animi ſignũ? Tam obſtinate operam dat vt me perdat, illa crudelis, inhumana, ingrata? Quamquã

dum

dum cogito te ab illa grate excipi, libenter audiri, persuadere mihi non possum, illam esse alienato à me prorsus animo. Quod ad me attinet, nunquam equidem quod sciam illam prudens offendi. Nunquam ne huius acerbitatis atq; odij, causas illa commemorat? Potes hoc mihi Fabi tandem dicere, quid illa tibi respondit? Quid dixit? Cedo dum, ne graueris. FA. Dixi equidē millies. FLA. Ne pigeat modò, quid ad te attinet? FA. An vero non attineat? Non me Herclè pati possum te tantum laborare vnius muliherculæ gratia. Amo te ex animo ô here, vellemq; aliò traduceres amorem tuū, teq; ista cura liberares, atq; animū remitteres. FLA. Non est mihi obscura tua in me volūtas ô Fabi, satis intelligo quam mihi ex animo bene velis. Dij quæso faxint, aliquando vt ego tibi possim referre gratiam. Sed nūc quæso te mihi repete, quid illa responderit. FA. Dixi equidem nihil te posse gratius facere, quam si eam missam faceres: alio amore distineri, nō posse vacare tibi. Proin aliò et tu animum conuertas, actum agere te in

ea re, si speres quidquam te profecturum. FLA. Atq; hæc videbatur illa ex animo dicere, an potius muliebri ingenio et simulatione fastidij? Neq; enim tam illa in me solebat esse acerba, neq; ita nos aspernabatur, nõ ita pridem cœpit in nos esse hoc animo. Mihi tamen decretũ est prius experiri omnia, et ad extremum persequi. Prius me vita destituet quam finem faciam. Nonne tibi videtur Fabi? FA. Mihi non Herclè placet. FLA. Cur ita quæso? FA. Ego si isthic essem ô here, putarem satis cum illa fœliciter agi, si vel dignarer aspicere. Quasi vero tibi ista forma, genere, animo, tot dotibus prædito, deesse posit quod ames, quodq; te dignum sit. Periculum facito, teq; alio conuerte, mihi crede iam vltro rogaberis. Dic mihi quæso, num tu quam aliam hîc amasti, quæ in amore responderet? FLA. Quid aliam? Immo verò alias, sed vna erat inter cœteras nomine Lelia, cuius ego faciem in discreta similitudine, prope dixerim tuam, adeo pulchra, adeo benemorata, adeo vrbane instituta, vt nihil supra. Quam tibi ego

iam aliquando oſtendam. Quæ ſummam fœlicitatem duceret, ſi vel leuiſsimam illi ſignificationem non alieni animi darem, quæ ſe mihi integrũ iam annum, mire gratam et facilem præbuit, poſtea hinc diſceſſit. Interea animum ad hanc verti, quæ ſe mihi tam duram et implacabilem præbet, quam illa olim comem et humanam præbuerat. FA. Nunc adeo dico ô here, dignũ te eſſe his malis quæ pateris, qui tantum amorem ſis aſpernatus. Nam qui amantem reieceris, meritò nunc infenſum tibi amorem experiris. FLA. Quid tu tibi vis? FA. Quod ſi tu miſeram illam puellam, quæ te prior adamauit, et nunc adeo amat, ita crudeliter aſpernatus es, quam ab alijs in amore vicem expectes? Quod peccatum nunquam tibi quód equidẽ ſpero, putarim remiſſum iri. Tu mihi Pol ô here omnium hominum videre ingratiſsimus. FLA. Tu nondum per ætatem cœpiſti ſapere ô Fabi, adhuc puer es, nondum amoris vim expertus es. Hoc poſſum dicere cogi me ad amandam, colendam, adorã-

dam

dam Cynthiã, neq; esse me mei iuris, neq; aliud cogitare quam illam possum. Proinde experire te quæso iterum, an verbum aliquod posis ab illa exprimere, vnde cõiecturam de illius animo facere liceat. FA. Tu mihi videris laterem lauare. FLA. Et hoc ipsum facere iuuat, quid ad te? FA. Nihil proficies. FLA. Ferendum. FA. Missam facito tibi dico. FLA. Non possum. Abi quæso te. FA. Ibo. Verum. FLA. Refer ad me responsum, ego in tẽplum ego hinc eo. FA. Non deero tibi cõmoditatem nactus. FLA. Si hoc mihi conficis, non te pœnitebit impensæ operæ. FA. In tempore discesit. Ecce enim Eulaliam Cynthiæ famulam hùc venientem video.

SCÆNA SECVNDA.

EVLALIA Cynthiæ famula. FABIVS.

DIj boni quam est dura seruitus amanti seruire adolescẽtulæ, quæ neq; matris, neq; sororis, aut metu aut verecundia coërcetur. Dici nõ potest quàm cœperit huius

ado

ádoleſcentuli amore non ita pridem hera mea inſanire,neq; interdiu,neq; noctu vnquam cõquieſcit,me ſubinde vocat,garrit, colloquitur,curſitat,ad pergulam, ad feneſtras. Argentum viuum putes illi eſſe in pedibus. Amaui ego aliquando, ſed neq; iſta inſania,neq; imberbes adoleſcentulos vt illa facit. Hic enim Fabius quem illa deperit, plane puſio eſt,necdum prima lanugine cõſperſus, et tamen heri partes iuſſus agere, agit ſuas. Modò me cum mãdatis ad illum mittit,atque his occupationibus totos dies inſumo. Atq; eccum ipſum,o factum bene. Salue Fabi. FA. Salue et tu quoq; multum Eulalia. Sed quid ait nobis hera tua? EV. Se miſera lachrymis conficit,teq; abſentem ſuſpirat. FA. An vero vellet me totos dies apud ſe deſidere? EV. Equidem arbitror, ac me modò oratum miſit,te vt obſecrarem, ad ſe venires. FA. Quaſi verò nihil ſit quod agam,ſeruiendũ eſt hero. EV. Non ille moleſte feret. FA. Immo verò moleſtiſsime, ſi ſciat. Hoc denique illi dicito pro certo habeat,niſi Flaminium repudiarit,ac miſſum

prorsus fecerit, nō posse me illi morigerari. EV. Quin tu potius abi, ac per te dicito. FA. Nō possum: molesta ne sis. EV. Tu nūc nimium superbis forma, atq; adolescentia Fabi, propterea quod vernat tua ætas, ac ni tet. Verum næ iam tibi celeriter isthæc gratia deflorescet. Quo magis ô stulte nō erat prætermittenda occasio, neq; tam superbe repudiandus amor pulcherrimæ mulieris. Quam tu multos esse censes qui se beatos dicerent, si vel aspectu eos dignaretur? FA. Ad me nihil attinet, dignetur quos velit, ac me missum faciat. EV. Dij boni quam est inconsulta et temeraria adolescentia. FA. Ne me obtunde. EV. Ne tam obstinate Fabi, ne quæso anime mi, ne ita aspernare, ni me mauis rursum te quærendo, sursum ac deorsum cursitare. Satis enim scio, non esse credituram me ad te detulisse mādata. FA. Agè agè, abi iam tu, cōtinuò adero, iocabar equidē hactenus. EV. Quando meum cor? FA. Iam mox. EV. Matura quæso te. FA. Iam cōsequor. EV. Maneo ne te in vestibulo? FA. Vbi velis. EV. Si fallis, næ tu haud impu-

impune feres. Ego iam rectà domũ hinc redeo. Sed Flaminiũ atq; eius seruũ Dulippũ hùc veniẽtes video, properabo ne me cõsequãtur, atq; hîc percõtando remorentur.

SCÆNA TERTIA.

FLAMINIVS. DVLIPPVS eius seruus.

QVid tu hîc stabas Dulippe? Cur nõ obuiam Fabio iueras? DV. Iam equidem properabam, tu me reuocasti. FLA. Abi actutum, et si intus erit, foris illum mane, DV. Quid ego sciam, nisi perconter domi ne sit? FLA. Prudentiam quæso videte hominis: nemo est vestrum qui quicquam sapiat, præter vnum Fabium. DV. Scilicet vnus Fabius diligens, cordatus, industrius, fidelis, et quid non? Vnus deniq; Fabius facit omnia. FLA. Facit profecto, neque vos mihi estis vnius assis. DV. Sit ita sane. Verum ego in re tanta eius fidei periculum nõ facerem. FLA. Quasi vero quisquã vestrũ cum illo conferendus sit. Sed abi, ac ne me morare, modò ad nos continuò redeas.

Actus tertij, Scæna prima.

ALBINVS Pedagogus. FABRICIVS Adolescens. LIGVRINVS Seruus.

ALBINVS.

MIhi hæc omnia videtur alia, ita diu est quod Mutinam reliqui. Tu verò Fabrici, videris tibi patriã recognoscere? FA. Perinde ac si nunquam in ea fuissem. AL. Non miror sane, namq; admodum paruulus discesseras. Hic tamen est ni fallor vicus vbi olim habitauimus: ad sinistram via ducit in forum. Illa moles quæ procul apparet, tẽplum est: aspice arcem munitissimã, hoc est prætorium. FA. Ego mihi videor auspicato hùc appulisse, ita mirè arrident omnia. LI. Ego vero auspicatissime: ita popinarum nidor afflauit nares. AL. Non temere ille dixit, Dulcis amor patriæ. LI. Mihi vero dulcius esset explere famem, namq; hac sarcina mihi scapulæ iam dudum fra-

ctæ ſunt. AL. Vbi nos de patre percontabimur, aut quæ erit illum veſtigandi ratio? FA. Prius aliquò diuertamus, vbi cibo et quiete corpora refecta erunt, tunc dabimus operã huic veſtigationi. LI. Hoc mihi verbum placet. Næ tu multo ſapientior es, quã tuus inſtitutor. AL. Nihil opus eſt: naui modò egreſsi ientaculum ſumpſimus. LI. Nihil ſane opus eſt tibi, qui egò vectus, ſine vllo labore iter feciſti. Vtinam egò te ſarcinæ ſuccumbentem videam. FA. Cum primo ingreſſus ſum, mihi arriſit illico vrbis aſpectus. LI. Mihi verò campi videtur Elyſij, in quibus nec comeditur, nec bibitur. AL. Semper illi animus eſt in patinis. LI. Nimirum, qui fame emorior, cuius fauces coarctantur, venter comprimitur. FA. Sed nobis indice erat opus, qui ad paternas ędes deduceret. AL. Primo tamen aliquò diuertamus, vbi requieuerimus, veſtibus viatorijs dimiſsis, ſumemus vrbanas. LI. Mihi in animo eſt popinam ingredi, neque inde prius auelli, quam gulam opipare expleuero.

SCÆNA SECVNDA.

LVRCONIVS. SCARIVS. ALBINVS. FABRICIVS. LIGVRINVS.

LVRCONIVS.

QVi ſe vult lautiſsime excipi, huc ad nos diuertat. Ad ſpeculum, ſpeculũ, hoſpites belliſsimi. SCA. O ſaluete multũ hoſpites humaniſsimi, iam vos huc non ſemel diuertiſtis. Non veſtrũ Scarium agnoſcitis? LVR. Apud nos cubicula ſunt elegãtiſsima, focus, lectus, ſtragula mundiſsima, nihil deerit eorũ quæ vos habueritis. LI. Hoc ego iam ſciebã. LVR. Quæ volueritis erã dicturus, lapſus ſum. SCA. Apud me vinũ habebitis generoſiſsimum, perdices, coturnices, farcimina, lucanicas, palumbulos, pullos, quidquid optare libuerit, genialiter epulabimini. LI. Hoc mihi imprimis placet. AL. Tu quid ais? LVR. Apud me nõ deerunt cerebella vitulina, iecinora anſerina, pulmẽtariola, vinũ tenuiſsimũ, denique quidquid eſt deliciarũ. SCA. Nihil ego deli

cias

cias moror quæ famem nõ explent. Apud nos regaliter, ac põtificie cænabitis. Pretiũ pro vestro arbitratu, iste pro lucernulis à vobis exiget. Agite vt volueritis. LI. Apud istum maneamus here, mihi Herclè homo perplacet. LVR. Enimuero honestũ diuersoriũ, vbi matula pro signo est. SCA. Mea matula purior est tuo speculo. An verò dubium est ad vtrum nostrum plures diuertãt? LVR. An verò dubiũ est, ad vtrum honestiores et splendidiores diuertant? SCA. Quærite vbi melius excipiantur. LVR. Quærite vbi delicatius excipiãtur. LI. Delicate delicate, mittite istas delicias, ego ventrem primo velim ingurgitare, atq; hasce delicias Valẽtinis, ac Florẽtinis relinquere. LVR. Atqui omnes hi ad me diuertunt. SCA. Solebãt: verum tribus ab hinc annis, omnes ad hoc signũ cõfluunt. LVR. Heus bone vir, hãc sarcinam depone, nam te iam dudum laborantem video. LI. Ne tu quæso solicitus hac de re sis, nam mihi non est animus tergũ exonerare, nisi vbi ventrem debeam onerare. SCA. Erunt ne tibi vni satis

duo capi? Hùc infer, hos deuorabis solus. LI. Hi verò vel vni epulo erunt satis. LVR. Hanc pernam contemplamini quam tota rubet. AL. Non est me Hercle contemnenda. SCA. Quis vestrum in vinis degustãdis peritior est? LI. Ego vel Gallis non cessero. SCA. Degusta, si minus placet, decem iam tibi genera hùc depromam. LI. Tu mihi Herclè videris longe sapientior isthoc altero, qui protinus vis nos periculum facere. O here nihil supra, agè agè, ego iam sarcinam hîc depono. AL. Mane paululũ, quid tu ais? LVR. Aio homines elegantes non ciborum copiam curare, sed paucis selectis et delicatis capi. SCA. Mihi videris rem nõ satis tenere ô hospes, namq; vbi satis est ciborum et cęna dubia apponitur, ibi licet ex aceruo deligere: vbi verò frugi ac delicatũ est conuiuium, excitare licet orexim, nõ extinguere, ac vẽtrem pane vel alijs sordibus, infarcire necesse est. LI. Hic mihi plane homo videtur leges nosse conuiuales. Ille autẽ alter vel mendicorum curator, vel coquus infirmorum. AL. In dubio est vtro inclinet

ani-

animus,ita vterque ad se trahit. SCA. Tu adolescens intro iam abi,videbis quam densa corona eduliorum,atq; obsoniorum omnis generis,focus obsideatur.LI.Hoc tu nequaquam pigro demãdaueris.LVR.Dispeream si ex tota Italia, aliò quàm in meum diuersorium cõmeatur. SCA. Olim istud fortàssis,verum vbi ego hanc officinã aperui,omnes vndiq; siue nobiles siue ignobiles,priuati siue magistratus,in meam matulam hùc se præcipites dãt.LI. Dij boni quãtum est eduliorum,lautitiarum,pulmentariorum, quid degustaui, quid obliguriui? Nihil est isto homine elegantius,hùc nos ô here recipiamus,nihil est quod dubites, ad me recipio. AL. Quando ita videtur mos gerundus est tibi,eamus Fabrici.FA.I præ, sequar. AL.Mox à prandio de patre percõtabimur. LVR. Ita ne Scari tu semper hospites qui ad me confluunt, ad te auertes? Atqui iam faciam vt huius temporis ac loci memineris, næ tu haud impune feres. SCA.Scilicet, istæ minæ dormire me non patientur.

SCÆNA TERTIA.

DVLIPPVS solus.

DIj vostram fidem, quid ego vidi, quid hisce aspexi oculis? O miserum Flaminium, perfidum Fabium, impudicam Cynthiam, abi posthac atq; hisce adolescẽtulis res tuas committe. Quàm putabat herus meus nihil esse hoc Fabio diligentius, nihil fidelius, at modò perfidus quàm herũ perdidit; quàm nihil pensi habuit. Cum me modò ad illum accersendum herus misisset, ad vestibulum domus peruenio, paululum expecto, vbi nullus apparebat ego me intro in atrium irruo, oculos circũfero, nullus hominum aderat, procul tantum in pergula Fabium et Cynthiam video, valde familiariter inter se colloquentes: perculit illico ea res animum. Deinde vbi parabat ille discedere, hæc blande retinere cœpit, magisq; ac magis remorari, iamq; in extremo digressu medium adolescentulum cõplectitur, seq; in illum reijcit flens, perquã familiariter: vixq; à se diuelli patiebatur.

Ego

Ego continuò apud me:ô perfidiam, ô scelus:discedo inde, male me habens, atq; hùc me cursu proripio, rem omnem hero indicaturus:nihil tacebo. Odi egò pessime istū Fabiolum, qui nos omnes pro nihilo ducebat, ac multum superbiebat herili gratia. Sed eccos ipsos per Iouem, herum, atque il lum egregium famulum. Volo illum potius domi expectare, et seorsum alloqui.

SCÆNA QVARTA.

FLAMINIVS. FABIVS.

FErri hoc tandem potest, vt eam colam quæ me aspernetur, adamem, quæ oderit, quæ nullā mei rationem habeat? Ita ne omnem spem abieci, vt nulla sit ex hoc me malo explicandi ratio? Non tu mihi dices quid impetraris Fabi? FA. Minus quā nihil. FLA. Quid ergo tādiu morabaris? FA. Expectabā si aliquod possem verbū exprimere. FLA. Nec potuisti? FA. Auscultare noluit: tu si me audis aliam tibi conditionem quæres, et hāc missam facies. Nam quantū

licet intelligere illa obſtinatiſsime animũ obdurauit,neq; potis eſt à ſententia dimoueri. FLA. Atq; id ego adeo deprehendi,nã cum modò illàc præteritem,ſubito ſe à feneſtra amouit,tanto cum faſtidio,tanta cũ acerbitate,quaſi mônſtrum aliquod vidiſſet. FA. Vt miſſam facias identidem dico, neq; fruſtra te emaceres. Fieri tandẽ poteſt vt nulla ſit in ciuitate tuo amore digna, quam tu vnquam adamaris? FLA. Valde ego iam vereor ne hoc mihi merito accidat,pro ingratitudine mea atq; inhumanitate in Leliam,de qua tibi mentionem feci, quam ego non ita pridem deperibam ardẽtiſsime. Nunc autem vereor ne Cynthia id reſciuerit,ac ſibi perſuadeat,nondum illius amorem mihi excidiſſe. Ego tamen modis omnibus fidem illi faciam,nihil me minus amare,immo verò odiſſe,prorſusq; ex animo abieciſſe, ac fidem meam iureiurando obſtringam,me nunquam poſt hac illã viſurum,aut eius recordaturum,idq; volo tu illi confirmes meo nomine. FA. Hei mihi. FLA. Quid eſt? Tu mihi videris animo linqui.

qui. FA. Væ mihi. FLA. Quid tibi dolet? FA. Væ mihi, cor. FLA. Quam dudū? Consiste paululum, num dolet etiā caput? FA. Minime. FLA. Num ventriculum sentis tibi debilitari? FA. Minime rerum, cor dolet, cor inquam dolet. FLA. Hac ego parte iam pridem laboro, sed tu mihi videris expaluisse. Abi iam continuo domum, ac ibi pectus foueri facito, protinus sese remittet. Porrige hùc manum: abi, teq; in lectum recipe. Nihil poterat mihi incommodius euenire, quam istum puerum ægrotare, quo nihil est mihi charius, nihil ad omne ministeriū, ad nutus etiam heriles, aptius. Tum et me videtur ita colere, sic obseruare, vt si fœmina esset existimarem mei amore captam. FA. Audisti ne tandem Lelia illius ingratissimi vocem? Intellexisti te negligi, contemni, odio haberi? Perseuerabis ne igitur illū amare qui te respuat, repudiet, auersetur? Valeat illa per me, sibi habeat suam Cyntiam, sit fœlix, sit beata, mihi in animo est tam ingratū, tam crudelem hominem, missum facere: nūquam illi in occursum venire.

re. Ego iam mihi prospiciam alia ratione: sit satis seruitum hactenus, sit deliratum: iam te ad saniorem mentem Lelia recipe. Ego hinc me ad Lesbiam nutricem confero, vt quid sit statuendum de mea vita intelligam.

SCENA QVINTA.

DVLIPPVS. FLAMINIVS.

NIsi hoc tu certo compereris, linguam mihi excidi, aut necari iubeto. FLA. Quam dudum vidisti? DV. Modò interfui. FLA. Vnde expectabas? DV. Ex atrio domus. FLA. Quid igitur videras? DV. Quēadmodum mutuo inter se deoscularentur. FLA. Hoc tu vidisti? DV. Hoc inquā vidi. FLA. Tuis oculis? DV. An putas me posse videre alienis? FLA. Fabius ne illā deosculatus est? DV. Vter alteri basia porrexerit nescio, vtrunq; certe inter se deosculatum scio. FLA. Si tu vera narras quid est quominus statim moriar? DV. Ego expectabā ex atrio vtrunq; inter se colloquētem, vidi ad-

mouit alter alteri os, hæc ego vera esse scio: nunc si libet morere. FLA. O perfidiã, nūc demum intelligo cur me tam sedulo ab his amoribus auocaret, vt ille scilicet vnus ea potiretur. Næ ego iam si viuo exēplum in illum ædam, quod cum audierint posteri obstupescant. Sed vide tu satis tibi constes ne hoc odio aut inuidia dicas, quod illi male velis. Scio enim te illi inuidere. Potis es verum mihi dicere? DV. Dico equidem, iteruniq; ac sepius dicam. FLA. Tu mentiris per Iouem. DV. Iam ego optarim nihil omnino dixisse tibi. FLA. Deosculatus est illã? DV. Deosculatus. FLA. In ore? DV. In ipso ore. FLA. Tu videbas? DV. Prorsus videbam. FLA. Iam nihil moror. Iam vbicunq; sit inuestigatum illum oportet, pœnasq; ab illo sumi, quæ terrori sint vniuersæ posteritati. Oculos eruam scelesto, linguam excidam perfido, totum minutatim cōcerpam, tu me sequere.

SCÆNA SEXTA.

LIVINVS. LESBIA.

Hæc

HÆc tua ſcilicet eſt optima illa diſcipli-na,hi mores, quos filiam edocuiſti. O miſerum,o perditum ſenem,eò ne opes ac cumulaui,vt ſine hærede decederem? Vt fa miliam euerſam viderem? Filiam impudicam? Vt fabula fierē vulgi? Vt in ore eſſem omni populo? Vt argumentum ſim comœdijs? Vt de me fabulentur ſenes,garriāt mu liercula? Quaſi verò ea ſint noſtrarum ingenia,quæ rem continere poſſent.Iam ego fabulam per totam ciuitatem dimanaſſe arbitror.LES.Pergis tu vociferari,vt ſi res in occulto eſt,tua opera euulgetur?Quanquā ego perſuadere mihi non poſſum,quin hoc falſum fictumq; ſit,idq; arbitror tibi perſuaſiſſe eius materteram, vt apud ſe retineat. LI. Ah, quaſi verò difficile exploratu ſit. Pro certo ſe cōperiſſe dixit, illam maſculi veſte ſumpta paſsim vagari, et apud quē dam non ignobilem adoleſcētem amaſium ſuum famulum agere, neq; adhuc ab illo deprehenſam fœminam.LES. Hoc ego nō poſſum mihi perſuadere.LI. Neq; ego per Iouem deprehenſam non eſſe.LES. Ah,nō id

id dico, ſed tu pergis male ſuſpicari. LI. Im merito, quaſi nō tu te peruerteris, et corru peris filiam. LES. Tu pergis iniurius in me eſſe, quaſi ſatis non ſit quod me ludibrio ha bueris. Erras ſi putas hac ratione educādas virgines. Non te pudebat adoleſcentulam decrepito ſeni collocare, cuius eſſe poterat trineptis? LI. Qua parte ſenes deteriores ſunt, ſtultiſsima? Sunt illi multo adoleſcentibus valētiores. LES. Quid miraris, ſi cum tu ita inſanias, omnes te velint ad ſaniorem mētem reuocare? LI. Vbicumq; illa eſt diu latere non poteſt. Ego iam Herclè hūc abreptam capillis traham. LES. Scilicet; vt ſi alius deerit, tu tui dedecoris buccinator ſis. LI. Ad me nihil pertinet. LES. Ad quē igitur? LI. Modò vlciſcār dolorem meum, atq; animum expleam. Iam mihi ſigna omnia explanata ſunt, veſtitus et cultus, vt illā deprehendam, non omittam quærere quoad inueniam. LES. Abi quod tibi male vertat. Sat ſcio, minus quam nihil effeceris.

SCÆNA SEPTIMA.

O FA-

FABRICIVS. SCARIVS.

DVm famuli laſsitudinem reficiunt, ego hūc deābulatum egredior, vt ciuitatē contempler: Vbi ſeſe recrearint dicito, hūc ad me in forum veniāt. SCA. Ego me Her clè niſi te propius fuiſſem contemplatus, ac mihi oculis fidem feciſſem, te prorſus di xiſſem puerum eſſe cuiuſdam Flaminij, qui apud nos eſt: tā expreſſa ſimilitudine oris, ac totius corporis, vt prope idem videaris. Quin et veſtes mire congruunt. FAB. Fortaſſe mihi erit germanus frater. SCA. Fieri poteſt. FAB. Tu pedagogo meo dicito, ne id omittat, quod prædixi. SCA. Mihi erit curæ.

SCÆNA OCTAVA.

EVLALIA. FABRICIVS.

SEd eccum ipſum quem quæro, o factū bene. Tu me Pol liberaſti ô Fabi, labore perreptandi totum oppidum. Hera mea te oratum miſit, ad ſe vt venires, eſſe aliquid quod ſit in vtriuſq; rem, quod tibi cōmuni

catũ velit. Agè ne repugna anime mi. FA. Quæ tua isthæc hera est? EV. Merito id dicis, quãto autem satius esset vt te hac molestia liberares, atq; illi morigeraréris, quod in rem tuam esset. FAB. Quid tu in rem meã esse dicis? EV. Vt heræ meæ amorem in te ne aspernéris. FAB. Ego verò neutiquá aspernor. Eu. Quid igitur obstat quo minus ad illã venias? FAB. Tu me satis pernosti mulier? EV. An norim te rogas Fabi? FAB. Hoc inquã rogo: nam tu me Herclè valde erras mulier, in me dignoscẽdo. EV. Tu ludis Fabi, quin age, ad horã venito, neque illã crucies. FAB. Iã scio quid ista erret, alium me putat esse quã sum, dissimulabo tamẽ, ac me vltro offerã. EV. Quid me vis respondere? FAB. Quid hoc rei sit ignoro, aut hæc insanit, aut mihi laqueus tenditur. Abi ac dicito, me cõtinuò ad heram venturum. EV. Ædepol facis quod te dignum est Fabi. Ego præcurro vt te adesse nũtiem. FAB. Quin et nomen mihi immutat, quis hic Fabius est? Quid mali est? Expectabo tamen huius exitum fabulæ. EVLA. Sed

quem ego tumultũ domi audio, quid hoc turbæ est? Tu isthic mane, videbo prius sola ne sit Cynthia, ac tibi innuam. FA. Hæc sine dubio meretricis alicuius est famula, quæ ab illa submittitur ad illectandos adolescentes, prędam aliquam sperans: scilicet: Verum næ illam sua spes falsam habet, si à nudo sperat posse se quidquam eripere. Verum ne in insidias incidam, obseruabo ingredientes, atq; exeuntes prius.

SCÆNA NONA.

CRITO. LIVINVS. EVLALIA.

CRITO.

TV mihi ignoscas velim Liuine, nam profecto si ita se res habet, iam ego hãc pactionem nuptiarũ remitto tibi. Fieri enim non potest, si hoc de tua gnata quod narras verum est, quin vel me illa aspernetur, vel alium quempiam adamet. LI. Ah, noli credere Crito, si ea res esset nõ te equidem celarem: noli quæso te factũ immutare. CRI.

Immo ego quæso te ne de hac re verbū iam faxis. LI. Atqui nō oportet te fidem; quam mihi dedisti negligere. CRI. Ah, quis poterat malum hoc diuinare? Cui tantū facinus in mentem venisset? Quāquam quid tu scis an sis recuperaturus? LI. Si non recuperauero, nihil spondeo tibi, sed si fiat, volo te mihi fidem facere, illam te ducturum, sicut inter nos conuenerat. CRI. Non recte cōsulis Liuine, namq; ego honestissimam vxorem habui, vt tu te scis, et nūc domi gnatam habeo pudicissimam, plane harum rerū ignaram omnium. Non oportet adolescētulam istam in domum introduci hac libidine, et audacia, vt per alienas domos vestitu masculi vagetur, quæ filiam corrūpat meam, vt mihi postea nō liceat illi virum inuenire. LI. Vix tridui ac quatridui iste rumor est. mox consopietur. Quamquam præter me ac te, quis est qui resciverit? CRI. Iam mox totam ciuitatem hoc rumore personātem videbis. LI. Minime rerum. CRI. Quā dudum illa fugit domo? LI. Heri sub vesperū, aut hoc mane. CRI. Dij faxint. Sed quid tu

ſcis an ſit Mutinę? LI. Certo comperi. CRI. Abi ac reperi, rurſum tecum agam de hac re. LI. Promitte te ducturum. CRI. Mox videro. LI. Agè promitte. CRI. Nihil dico in præſentia: verum. LI. Quid verum? Libera nos hac ſolicitudine. CR. Mane adhuc. Sed quid tu iſthic Eulalia, quid agit Cynthia? EV. Quid agat? In ſuo larario eſt intēta peragēdis ſacris, affixa libris. CRI. Dij illam ſeruent, ita ſimilis eſt matris. EV. Nihil eſt illa aut honeſtius, aut verecundius, totos dies aut acu pingit, aut texit, nuſquam eſt ocioſa. LI. Laudo. Sed eccam illam alteram egregiam filiam, ſolatium patris, decus familiæ, exemplum pudicitiæ. Non tu illam vides Crito? Num fortaſſe fugit, aut ſe occultauit, vbi nos aſpexit? CRI. Vide an pernoueris ſatis? LI. Quaſi verò difficile ſit? Omnia ſigna conueniunt, quæ mihi dicta ſunt. CRI. Peiore in loco eſſe res nō poteſt. Ego mihi conſulam.

SCÆNA DECIMA.

LIVI-

LIVINVS. CRITO. FABRICIVS adoleſcens.

LIVINVS.

SAlue multum egregia filia, ſolatium patris, decus familię; videtur ne tibi hic cultus decere fœminam? Ita ne patris honori cõſulis? Sic miſerrimũ ſenem foues? Quę o portebat eo die interijſſe, quo de te procreã da cogitauit. Quę in id nata es vt genus tuũ dehoneſtares, vt me perderes, vt iugulares. Quid tibi videtur de tua ſpõſa Crito? CRI. Hoc verò illa nunquã erit. LI. Sacrilega, ſcelerata, quid, ſi nũc hic te miſſam faciat, neq; aliã conditionem poſsis inuenire? Verũ ille quod equidẽ ſpero, remittit hãc ſtultitiam tibi, neq; mutauit animũ. CRI. Scilicet. LI. Abi iam intro perdita, abi nefaria. O infœlices parẽtes qui te procrearũt. FAB. Heus bone ſenex, ſunt ne tibi neceſſarij, ſunt amici quibus curæ ſis? LI. Quid hoc verbi eſt? Non tu audis? Quid tibi vis? FAB. Miror equidem ſi tibi cognati aut affines ſunt, cum tantopere medico indigeas, ſalutem tuam ita negligi. Nam profectò ſi illi cu-

rarent, esses iam pridem in vinculis. LI. Te profecto oportebat esse in vinculis pessima, vix me cōtineo, quin te manibus cōcerpam. FAB. Tu Herclè homo iniurius es, qui in hominem ignotū atq; alienum sic debacharis. Atqui si me noris, ciuis sum, tāq; splendido genere ac loco, quā vestrûm quilibet. CRI. Negari non potest, perpulchra est, si æque omnia salua sunt, perplacet ducere. LI. Cur tu à patre discessisti? Cur domum reliquisti, in quam te asseruādam dederam? FAB. Tu nusquam me asseruandū dedisti, quod equidē sciam, sed mihi necesse fuit proficisci. LI. Vnde nam? FA. E castris. CRI. E castris? FAB. E castris inquā. CRI. Nihil hîc salui esse potest. LI. Te quæso Crito illam in domum introducamus tuam, vt per ocium de singulis percontemur. CRI. Non illa me Herclè hûc introibit, non equidem patiar. LI. Sine quæso te sodes, aperiri fores. CRI. Non equidē faciam. FAB. Ego multos Mutinēsium egregie insanos noui, sed qui tam esset quam hic senex, neque is vinctus aut inclusus teneretur, videre nusquam

quam memini. Ridiculũ insaniæ genus viri videntur illis fœminæ, vt in fabulis narratur, immisso furore quibusdã accidisse. Ego verò iam nollem in istud iocalure malũ nõ incidisse, magna mercede, vt sit quod cum sodalibus meis aliquando rideam. Sed ego spectare volo quid illi rursum dicant. CRI. Vt dicam quod sentio nõdum plane illa vitur, modò videtur, modò nõ videtur. Perge adhuc illam rogitare. LI. Adesdum. FAB. Quid tu tibi vis optime senex? LI. Quid mihi velim rogas pessima? FAB. Pergis maledicere? Iam tu quod nolis audies. LI. Miserrima. FAB. Ha ha ha. CRI. Non tu illũ iratũ vides? Morigerare homini. FAB. Quid illi mecum, aut quid tibi, vt morigerari debeam? LI. Pergis adhuc impudens? Quis tibi pater est? FAB. Liuinus frugi. LI. Vtinã is non esset, ne mihi mortem ante tẽpus accelerares. FAB. Ante tẽpus septuagenarius moritur? Iam te oportebat decessisse. CRI. Non ita oportet filiam parentibus respondere. FAB. Vterq; eodẽ morbo laborat. O rem dignam risu, ha ha. LI. Et quidẽ ridet.

CRI. Hoc verò impium est parẽtes ridere. FAB. Quem tu mihi patrem, quam matrẽ dicis? Ego scio me vnum Liuinum patrem, vnam Virginiam matrem habuisse. Tu mihi Herclè videris insanire. CRI. Scis quid suspicor Liuine, ne aliqua atra bilis illi mentem peruerterit. LI. Hoc quoq; mihi iam inde à principio in mentem venit, cum sic impudenter obuiam venientem vidi. CRI. Hoc verò aliunde poterat euenire. LI. Vnde nam? CRI. Amissa pudicitia, nihil fit reliquum pudoris fœminæ. LI. Ego satis credo illam insania correptam. CRI. Qui fit vt cum patris ac matris nomen teneat, te tamen non agnoscat? LI. Obsecro ne repugna Crito, illam in domum tuam introducamus, vt exploremus quid hoc sit mali. FAB. Quid iam inter se cõsusurrant sili cernia? LI. Blande illi primò suadeamus, deinde vbi erit introducta, in cubiculo vnà cum tua filia concludemus. CRI. Fiat, quando ita vis. LI. Age nunc filia, nolo iam tecum acerbius agere, remitto quidquid hactenus peccatum est, modò te ad meliorem frugẽ

poſt hac recipias. FAB. Habeo gratiam pro ſalubri admonitione. CRI. Facis quod te dignum eſt. FAB. En alterum, quem ex iſto natũ dicas. CRI. Nõ eſt tibi honeſtũ in hac veſte foris cõſpici, agè ingrediamur. Heus Eulalia aperi oſtiũ. LI. Agè ingredere mea gnata. FAB. Hoc verò Herclè non faciam. CRI. Quid ita? FA. Quia non libet alienas ædes ingredi. CRI. Scilicet, iam nobis erit altera Penelope: O me fęlicẽ. LI. Nõ immęrito tibi filiæ meæ pudicitiã prædicabam. CRI. Satis indicat veſtis. LI. Eſt quod tibi velim dicere. FAB. Atqui foris licet. CRI. Ne morare, hęc tibi futura eſt domus, ac tu mihi vxor. FAB. Apage ſenex obſcœniſsime, quod tibi male vertat. LI. Noli quæſo exacerbare. Audi mea gnata hũc intra limẽ verbũ dũtaxat tibi dixero. FAB. An verò exiſtimatis vos eſſe mihi formidabiles. En ingredior. LI. Quid nũc reliquũ eſt, quã vt vnà cũ filia tua cõcludamus, quoad illi veſtes afferri faciamus. CRI. Perplacet. Heus Eulalia hũc mihi clauẽ deprome huius cubiculi inferioris, et Cynthiã hũc euocato.

Actus quarti, Scæna prima.

ALBINVS Pedagogus. LIGVRINVS Seruus.

ALBINVS.

OPortebat iam ille tibi caput ac tergum fustibus probe dedolaret, vt intelligeres cùm prodit foras, esse tibi perpetuò assectandum herum. LI. Ne tam insolenter Albine, ni mauis iam audire quæ nolis. AL. Vtinam Dij faxint, senex iam inueniatur Fabricij pater, iam ego te apud illũ tuis depingam coloribus. LI. Si me velis tacere, tacebis sat scio. AL. Abi impurissime, nebulo, ganeo, quid tu de me potes dicere? LI. Quod iam à me audies si pergis. AL. Ego Hercle dicã te nihil aliud esse quam lurconem, furem, lenonem, ebrium, aleatorem, perductorem. LI. Quasi verò alius præter te Fabricium edocuerit alea ludere, scortari, comessari, ego iam dicam de isthac tua

egregia institutione. AL. Tu satis me pernosti quis sim Ligurine? LI. Ego ne? Perbelle. Nihil est intolerabilius hisce nebulonibus, qui cum sint aut mulionis aut agasonis filij, vbi pallium scolasticum sumpserũt, se se nobis magnifice vẽditant: et in precio haberi volũt, propterea quod sciant dicere, cuius generis est hic homo. AL. Vide Ligurine, furor fit læsa sæpius patientia. LI. Insolẽtissimum genus hominũ grammatici: quãto cum supercilio incedũt, omnes præ se cõtemnentes. Quàm se volunt reuererẽter adiri, honorifice salutari, caput ab omnibus aperiri, quod in pueros imperium habeãt. Dominus baccalaris, dominus baccularius, dominus baccacaca. AL. Dij boni, homo homini quid præstat, stulto intelligẽs quid interest. LI. Semper ista sunt in ore dictata quædam, pueris decantata. AL. Tractãt fabrilia fabri: tu quæ te digna sunt loqueris. Necesse est alterutrum nostrûm manere in familia, alioqui ego iam discessero. LI. Scilicet. Etiam vbi extrudetur, non discedet. Tamen noui ego isthæc magnifica verba. AL.

Ver

Verba? Quaſi verò mihi deſint conditiones honeſtiſsimæ. Sed reprimam iam bilem. Tu Ligurine vide faxis quod tui eſt muneris, intro abi, et cũ parocho ſumptus facti, rationem inito. LI. Hoc ego faciam et quidem libentiſsime, modò tu ſymbolum pro omnibus ſoluas. Ego ſcio perbelle iſtos nebulones cicurare, tamq; mites quam oues reddere. AL. Hùc in forum proceſsiſſe Fabriciũ dixit hoſpes, ibo vt illum quæram.

SCÆNA SECVNDA.

CRITO. LIVINVS. ALBINVS.

CRITO.

DE dote quod inter nos cõuenit, ego illi addã ex meo arrhabone quantũ tu cõcupieris, modò tu ſi filius nõ redierit, mille paciſcare florenos. LI. Fiat ſane. AL. Niſi me fallunt oculi ego iſtũ hominẽ videre memini, nec ſatis ſcio vbi locorũ. LI. Quid me aſpectas ô homo? AL. Hic haud dubie herus eſt. CRI. Mitte, quid ad te quod ille

te emiſsitijs ſi libet, intueatur oculis. AL. Nō temere eſt quod ego iſtū tam diligēter intueor. Dic mihi noſti ne ô hoſpes, Liuinū quēdam Mutinēſem. LI. Maxime, neq; aliū facile amiciorem quā me illi reperies. Sed quid tu ab illo vis? Nam ſi apud illum vis diuerſari, iam te præmoneo, aliud diuerſorium quæras: habet ille ex ſeſe aliud quod agat. AL. Tu mihi Herclè is videre. Salue patronorum optime. LI. Num tu es Albinus pedagogus filij mei? AL. Is ipſe. LI. O gnate mi, o me miſerum, quid tandem mihi de illo nūtias? Vbi illum reliquiſti? Num interijt? Num illi perfidi, fędifragi, impij, illum interemerūt? Nihil ne loqueris, nihil reſpōdes? AL. Ne quæſo plora, ne colachrymate. LI. Hic eſt ô Crito, inſtitutor ac pedagogus gnati mei: non ego me cruciem, non lachrymando conficiam, qui talem filium amiſerim, ſic morigeratum, ſic inſtitutum, pro puerili ætate cordatum, ſapiētem? AL. Quid te malum enecas, viuit ac valet filius tuus. CRI. Si hoc verū eſt iam ego interierim, cui mille floreni è manibus dilabūtur.

LI.

LI. Viuit ac valet? Si id verum esset, vtiq; te cum esset. CRI. Vide hũc satis noris Liuine, ne sit aliquis sycophanta. AL. Sycophãta? Parcius ista viris, tamen obijcienda memento. LI. Age quæso, rem nobis expone. AL. Iam à principio audies. Postquã in manus militũ venimus, vt tu te scis, filius tuus Fabritius centurioni cuidam Hispano præda obtigit, qui montes aureos pro redẽptione expectans, nos diligẽter asseruabat. Inde Senam in hyberna concessimus, quo toto tempore nullum nacti sumus tabellarium, cui ad te literas non dederimus. Vbi nihil ille noster sibi vidit affulgere spei, in militiã atq; in castra quæ iuxta Nolam erant, profectus est: ibi militari seditione orta, in tumaltu Hispano interficitur. Nos talem occasionem nacti, vtendum illa existimantes, nos è castris occulte surripimus: aspirauit cœptis fortuna. Salui atq; incolumes Mantuam peruenimus, illinc ad te rectà contendimus. CRI. Quam tibi credibilis hæc videtur fabula? LI. Num illi barbari filium meũ tractabãt illiberaliter? AL. Immo verò per

huma-

humanè, et honorificè. LI. Vbi ergo nũc eſt gnatus? AL. Vicinior quam putas. LI. Vbi nam? Nunquid Mutinæ. AL. Iam tibi oſtẽdero, modò pro hoc nũcio, aliquid à te muneris expectem. Dignus eſt operarius mercede ſua. CRI. Iam ille à te aliquid argenti expreſſerit. LI. Non patiar in me benignitatem deſideres, pro iſthoc tam læto nuntio: agè dic. AL. Ad proximum hoc diuerſorium, modò ex itinere diuertimus. CRI. Ergo actum eſt de mille florenis. Quanquã quid ad me attinet? Illa mihi vna omnibus eſt charior diuitijs. LI. Agè, duc nos ad illũ. Vix me continere poſſum, iam complecti, iam vellem deoſculari. AL. Vah, mutatus ab illo eſt, quẽ tu olim reliqueras, nihil minus iam eſt quam puſio. Vix agnoſces, ita procero eſt et valenti corpore. Neq; te ille, quod equidem arbitror, noſcitauerit, ita mihi videris alius. Præterea hæc barba prolixior ac tibi inſueta, obumbrat faciem. Vix ego te agnouiſſem, niſi ex voce deprehendiſſem. Lelia autẽ qui valet? LI. Iam illa plane nubilis eſt, et prorſus mulier. CRI. Si

hoc verum est, tibi habe. LI. Ha ha, volui dicere illam esse adultam virginem. Tu verò magister ignosce, nam quod primum omnium oportebat, te nondum sum amplexatus. AL. Hoc tu mihi Herclè debes pro amore meo in filium tuum, ac pro diligētia quam illi instituendo impendi. LI. Quam ille hactenus in literis profecit? AL. Vt licuit, per varios casus, per tot discrimina rerum. Sed en tibi diuersorium. LI. Fac illum euocari, celato tamen me hîc adesse: vt experiar, an me posit agnoscere. AL. Modò è diuersorio fuerat egressus, videbo an redierit.

SCÆNA TERTIA.

ALBINVS. LIGVRINVS. LIVINVS. CRITO.

ALBINVS.

HEus Ligurine Ligurine, rediijt Fabricius? LIG. Nondū. AL. Prodi hùc, atq; herū seniorem saluta. Hic est Liuinus quo tu sis sciens. LIG. Subsedit tandem bilis?

AL.

AL. Non soleo ego diutius irasci, præsertim tibi. LIG. Laudo. AL. Accede hùc, Fabricij patrē saluta. LIG. Vbinā est. AL. Nō tu hunc vides? LIG. Hic est heri pater? AL. Is ipse. LIG. O salue multū here, tu meHercle in tempore ades, vt soluas impendiū cænæ. AL. Hic quod tu scias here, strenuū se præbuit, ac diligentem filio tuo famulum. LIVI. Mihi est istud pergratum. Pro certo habetote, me omnibus qui filio meo sunt gratificati, egregie istā operam pēsaturum. LIG. Tu verò nullo negotio me iā expleueris. LIVI. Agè, quid tu tibi optas? LIG. Vt me huic hospiti ad quem diuertimus, cōcilies, meq; in eius familiā facias recipi, nullus est hominū qui melius excipiat hominē. LIVI. Num tu perpotasti apud illū? LIG. Pauxillulum. LIVI. Dic mihi quid edisti? LIG. Coturnices binas, turdos sex, capum vnū, vitulinam, præterea duos tantū vini cōgios exhausi. LIVI. Tu Scari præbe illi large quantum concupierit, ad me recipio. AL. Quid amplius desideras? LIG. Summā Hercle habeo gratiam, o herum lepidissimum,

o hominem vrbanisſimum: tu mihi per Iouem, præceptor, homo videris miſer, nihil ſapis: quin tu hùc pocula produci iube. Heus Scari, hiſce omnibus copioſſe propinato. AL. Nihil eſt opus. LIG. Tu bibes, ego ſoluam, ne iam de impendio cogites. Aliquid præterea bellariorum hùc deprome, tu præi præceptor ac bibe. AL. Vt tecũ amicitia vino conſecretur. LIG. Es me Hercle omnium horarum homo: tu here huic debes imprimis gratiam referre, qui filium tuum curauit diligenter. LIVI. Dij illi bene faxint. LIG. Sed tu interim ne omittito, quin et tu bibe. CRI. Nihil erat opus. LIG. Quod veſtro commodo fiat, ite iam intro cæna vos expectat apparata, atq; inſtructa: epulemur genialiter hac nocte. AL. Non omnino hic deſipit. CRI. Mihi aliud eſt quod agã domi, manere nõ poſſum. LIVI. Tu vide ne Lelia domo diſceſſerit. CRI. Id volebam ſcilicet. LIVI. Tua eſt, tuo arbitratu facito, per me iam licet. CRI. Fieri nõ poteſt, vt omnia ex voto cedant. Ferẽdum eſt, ſi quid ſecus obtigerit. Verum ego niſi

pa-

parum proſpiciunt oculi Leliam video, illa venefica eam abire permiſit.

SCÆNA QVARTA.

LELIA. LESBIA. CRITO.

LELIA.

ITA ne tandem pro ludo fortuna ſibi ducit, perpetuò nobis inſultare? LES. Tu modò ne te macera, atq; iſtam curam mihi demandato, iam videro quî te iſthac ſolicitudine liberem. CRI. Adire volo vt intelligam, quomodo illa effugerit. Salue Lesbia, ſalue et tu multum ſpōſa mihi chariſsima, quomodo tu effugiſti? Quomodo egreſſa es? Num illa ſceleſta te dimiſit? Bene habet quod nutricis domum te potius recepiſti, nolim tamen te iſto cultu cōſpici. LE. Quē tu alloqueris ô homo, quid hoc rei eſt? Quę Lelia iſta eſt? Ego Lelia non ſum. CRI. Nōne modò ego ac pater, te in cubiculo cōclu- ſimus, vnà cum Cynthia? Nonne tu vltro dixiſti te Leliam eſſe? Sed quid opus, quaſi

ego te nõ agnoſcam? Abi mea vxor, abi, ac tibi detrahe iſtam veſtem. LE. Tam te Dij ament, quam ego maritum expeto. LES. Crito ſic ſunt mulierum ingenia, quæ maxime videtur ſapere, deſipit maxime. Nulla eſt quę nõ aliquãdo ſtultitiam ſuam prodat, quę nõ ineptiat. Verũ vt vt hęc ſunt, celari oportet. CRI. Quod ad me attinet, lapidi dictũ puta. Verum quî nam effugit è noſtra domo? Nam cum Cynthia in conclaui reliqueram cõcluſam. LES. Quam tu ais? Hanccine? CRI. Hãc ipſam. LES. Tu Ædepol falleris Crito, nunquam à me hodie diſceſsit, ac modò ioco iſtã veſtem ſumpſit, vt puellulæ ſolent luſitare, ac me contęmplari iubebat, quã illã deceret. CRI. Tu vis meos oculos ludificari? Hoc tibi dico modò à me relictã in cubiculo bene obſerato, vnà cũ filia. LES. Vnde tu venis? CRI. Ex proximo diuerſorio. LES. Num bibiſti animi gratia? CRI. Pauxillulũ. LES. Abi igitur atq; edormi, poſtea hũc redi. CRI. Sine prius Leliã alloquar, iã illi rem iocũdiſsimam nũtiaro. LES. Quid tãdem. CRI. Fratrẽ eius germa

num

num rediisse sanũ ac saluũ, illumq; expectari à patre in diuersorio. LES. Fabricium? CRI. Fabricium. LES. Si putarem vera te dicere, iam basiũ porrigerem. CRI. Enim uero pulchram virginem à qua basium expetas. Hoc tu mihi velim à Lelia potius impetres. LES. Iam ego ad illi nuntiãdum propero. CRI. Ego verò vt illi veneficæ scapulas contundam, quæ hanc abire permisit.

SCÆNA QVINTA.

EVLALIA. CRITO.

MIseram me, quid illi stultissimi senes fecerũt? Quid sibi voluerũt? Adolescẽtem vnà cũ virgine cõcluserũnt, solũ cũ sola. Quid aliud fecissent, si filiam perditam vellent, si eius amoribus lenones se, ac perductores præbuissent? Quod omniũ est ridiculũ maxime, fœminam esse putant, huius Liuini filiam. Næ iam illi breui experiẽtur, quã nõ fuerit fœmina. Namq; ego satis scio si senex redierit, illos in furto deprehensum iri. Sed o me miserã, eccũ veniẽtem video:

vix nominauerã subito ille apparuit, quid faciam? CRI. Heus sacrilega, quo te proripis? Tametsi fugias, non effugies meas manus. Isthic cõsiste, quid tu venefica Leliam abire permisisti? Quid fores aperuisti? EV. Ego ne? CRI. Tu inquam venefica, quod tibi male vertat. EV. Nusquam illa prodijt quod ego sciam. CRI. Ego illam vidi modò apud nutricem. EV. Ego reliqui illã modò in cubiculo. CRI. Tu mentiris per Iouẽ sacrilega. EV. Immo tu vide, ne tui te luserint oculi. Ego illam me vidisse scio, neque quemquam aperuisse, postquam tu hinc discesseras. CRI. Fortasis illa me anteuertit? EV. Dico nusquã discessisse. CRI. Ego iam periculum fecero, ac si te mentitam deprehendero, væ tuo tergo. EV. Sin autẽ verum dixisse, quid erit præmij? CRI. Exhibe clauem scelesta, iam ego videro. EV. Ego præibo, atque aperiam. CRI. Scilicet, vt cum prestigias mihi feceris, posit elabi, ego per me hoc experiri volo. EV. Metu concutior atque inhorresco, quid iam est quo minus omnes interierimus. Quamquam

quam quid ad me, ille hoc sibi intriuit, ille vnus deuoret, ac luat pœnas stultitiæ suæ.

SCÆNA SEXTA.

FLAMINIVS. EVLALIA. CRITO.

FLAMINIVS.

QVamdudum à vobis noster discesſit Fabius? EV. Quid istud rogas? FLA. Quid istud rogem? O perfidum, o proditorem, iam ego illi ostendam quid sit fidem fallere. Nō pudebat vestram Cynthiam pusionem adamare, sui copiā illi facere? Quid iam dicent qui hoc nouerint? EV. Si quid illi indulgebat, cui causa faciebat, quod te amaret, non est quod istud sinistre accipias. FLA. Hoc verò ferendum est, vt me illa puerulo post habuerit, me neglexerit? Iam ego vbicumq; illū reperero, nares abscindam, oculos effodiam, nihil deniq; in illum supplicij prętermisero. Deosculetur iam tunc illū quantum velit, ac per me sibi habeat. EV. Verum hic dum minitatur, ille alter occa-

Verba? Quasi verò mihi desint conditiones honestissimæ. Sed reprimam iam bilem. Tu Ligurine vide faxis quod tui est muneris, intro abi, et cũ parocho sumptus facti, rationem inito. LI. Hoc ego faciam et quidem libentissime, modò tu symbolum pro omnibus soluas. Ego scio perbelle istos nebulones cieurare, tamq; mites quam oues reddere. AL. Hùc in forum processisse Fabriciũ dixit hospes, ibo vt illum quæram.

SCÆNA SECVNDA.

CRITO. LIVINVS. ALBINVS.

CRITO.

De dote quod inter nos cõuenit, ego illi addã ex meo arrhabone quantũ tu cõcupieris, modò tu si filius nõ redierit, mille paciscare florenos. LI. Fiat sane. AL. Nisi me fallunt oculi ego istũ hominem videre memini, nec satis scio vbi locorũ. LI. Quid me aspectas ô homo? AL. Hic haud dubie herus est. CRI. Mitte, quid ad te quod ille

te emissitijs si libet, intueatur oculis. AL. Nō temere est quod ego istū tam diligēter intueor. Dic mihi nosti ne ô hospes, Liuinū quēdam Mutinēsem. LI. Maxime, neq; aliū facile amiciorem quā me illi reperies. Sed quid tu ab illo vis? Nam si apud illum vis diuersari, iam te præmoneo, aliud diuersorium quæras: habet ille ex sese aliud quod agat. AL. Tu mihi Hercle is videre. Salue patronorum optime. LI. Num tu es Albinus pedagogus filij mei? AL. Is ipse. LI. O gnate mi, o me miserum, quid tandem mihi de illo nūtias? Vbi illum reliquisti? Num interijt? Num illi perfidi, fędifragi, impij, illum interemerūt? Nihil ne loqueris, nihil respōdes? AL. Ne quæso plora, ne colachrymare. LI. Hic est ô Crito, institutor ac pedagogus gnati mei: non ego me cruciem, non lachrymando conficiam, qui talem filium amiserim, sic morigeratum, sic institutum, pro puerili ætate cordatum, sapiētem? AL. Quid te malum enecas, viuit ac valet filius tuus. CRI. Si hoc verū est iam ego interierim, cui mille floreni è manibus dilabūtur.

LI. Viuit ac valet? Si id verum esset, vtiq; te cum esset. CRI. Vide hūc satis noris Liuiñe, ne sit aliquis sycophanta. AL. Sycophāta? Parcius ista viris, tamen obijcienda memento. LI. Age quæso, rem nobis expone. AL. Iam à principio audies. Postquā in manus militū venimus, vt tu te scis, filius tuus Fabricius centurioni cuidam Hispano præda obtigit, qui montes aureos pro redēptione expectans, nos diligēter asseruabat. Inde Senam in hyberna concessimus, quo toto tēpore nullum nacti sumus tabellarium, cui ad te literas non dederimus. Vbi nihil ille noster sibi vidit affulgere spei, in militiā atq; in castra quæ iuxta Nolam erant, profectus est: ibi militari seditione orta, in tumultu Hispano interficitur. Nos talem occasionem nacti, vtendum illa existimantes, nos è castris occulte surripimus: aspirauit cœptis fortuna. Salui atq; incolumes Mantuam peruenimus, illinc ad te rectà contendimus. CRI. Quam tibi credibilis hæc videtur fabula? LI. Num illi barbari filium meū tractabāt illiberaliter? AL. Immo verò per huma-

humane, et honorifice. LI. Vbi ergo nũc est gnatus? AL. Vicinior quam putas. LI. Vbi nam? Nunquid Mutinæ. AL. Iam tibi ostẽdero, modò pro hoc nũcio, aliquid à te muneris expectem. Dignus est operarius mercede sua. CRI. Iam ille à te aliquid argenti expresserit. LI. Non patiar in me benignitatem desideres, pro isthoc tam læto nuntio: agè dic. AL. Ad proximum hoc diuersorium, modò ex itinere diuertimus. CRI. Ergo actum est de mille florenis. Quanquã quid ad me attinet? Illa mihi vna omnibus est charior diuitijs. LI. Agè, duc nos ad illũ. Vix me continere possum, iam complecti, iam vellem deosculari. AL. Vah, mutatus ab illo est, quẽ tu olim reliqueras, nihil minus iam est quam pusio. Vix agnosces, ita procero est et valenti corpore. Neq; te ille, quod equidem arbitror, noscitauerit, ita mihi videris alius. Præterea hæc barba prolixior ac tibi insueta, obumbrat faciem. Vix ego te agnouissem, nisi ex voce deprehendissem. Lelia autẽ quî valet? LI. Iam illa plane nubilis est, et prorsus mulier. CRI. Si

hoc verum est, tibi habe. LI. Ha ha, volui dicere illam esse adultam virginem. Tu verò magister ignosce, nam quod primum omnium oportebat, te nondum sum amplexatus. AL. Hoc tu mihi Herclè debes pro amore meo in filium tuum, ac pro diligētia quam illi instituendo impendi. LI. Quam ille hactenus in literis profecit? AL. Vt licuit, per varios casus, per tot discrimina rerum. Sed en tibi diuersorium. LI. Fac illum euocari, celato tamen me hîc adesse: vt experiar, an me possit agnoscere. AL. Modò è diuersorio fuerat egressus, videbo an redierit.

SCÆNA TERTIA.

ALBINVS. LIGVRINVS. LIVINVS. CRITO.

ALBINVS.

HEus Ligurine Ligurine, rediji Fabricius? LIG. Nondū. AL. Prodi hùc, atq; herū seniorem saluta. Hic est Liuinus quo tu sis sciens. LIG. Subsedit tandem bilis?

AL.

AL. Non soleo ego diutius irasci, præsertim tibi. LIG. Laudo. AL. Accede hùc, Fabricij patrē saluta. LIG. Vbinā est. AL. Nō tu hunc vides? LIG. Hic est heri pater? AL. Is ipse. LIG. O salue multū here, tu me Hercle in tempore ades, vt soluas impendiū cœnæ. AL. Hic quod tu scias here, strenuū se præbuit, ac diligentem filio tuo famulum. LIVI. Mihi est istud pergratum. Pro certo habetote, me omnibus qui filio meo sunt gratificati, egregie istā operam pēsaturum. LIG. Tu verò nullo negotio me iā expleueris. LIVI. Agè, quid tu tibi optas? LIG. Vt me huic hospiti ad quem diuertimus, cōcilies, meq; in eius familiā facias recipi, nullus est hominū qui melius excipiat hominē. LIVI. Num tu perpotasti apud illū? LIG. Pauxillulum. LIVI. Dic mihi quid edisti? LIG. Coturnices binas, turdos sex, capum vnū, vitulinam, præterea duos tantū vini cōgios exhausi. LIVI. Tu Scari præbe illi large quantum concupierit, ad me recipio. AL. Quid amplius desideras? LIG. Summā Hercle habeo gratiam, o herum lepidissimum,

o hominem vrbanissimum: tu mihi per Iouem, præceptor, homo videris miser, nihil sapis: quin tu hùc pocula produci iube. Heus Scari, hisce omnibus copiosse propinato. AL. Nihil est opus. LIG. Tu bibes, ego soluam, ne iam de impendio cogites. Aliquid præterea bellariorum hùc deprome, tu præi præceptor ac bibe. AL. Vt tecũ amicitia vino consecretur. LIG. Es me Hercle omnium horarum homo: tu here huic debes imprimis gratiam referre, qui filium tuum curauit diligenter. LIVI. Dij illi bene faxint. LIG. Sed tu interim ne omittito, quin et tu bibe. CRI. Nihil erat opus. LIG. Quod vestro commodo fiat, ite iam intro cæna vos expectat apparata, atq; instructa: epulemur genialiter hac nocte. AL. Non omnino hic desipit. CRI. Mihi aliud est quod agã domi, manere nõ possum. LIVI. Tu vide ne Lelia domo discesserit. CRI. Id volebam scilicet. LIVI. Tua est, tuo arbitratu facito, per me iam licet. CRI. Fieri nõ potest, vt omnia ex voto cedant. Ferẽdum est, si quid secus obtigerit. Verum ego nisi

pa-

parum prospiciunt oculi Leliam video, illa venefica eam abire permisit.

SCÆNA QVARTA.

LELIA. LESBIA. CRITO.

LELIA.

ITA ne tandem pro ludo fortuna sibi ducit, perpetuò nobis insultare? LES. Tu modò ne te macera, atq; istam curam mihi demandato, iam videro quî te isthac solicitudine liberem. CRI. Adire volo vt intelligam, quomodo illa effugerit. Salue Lesbia, salue et tu multum spõsa mihi charissima, quomodo tu effugisti? Quomodo egressa es? Num illa scelesta te dimisit? Bene habet quod nutricis domum te potius recepisti, nolim tamen te isto cultu cõspici. LE. Quē tu alloqueris ô homo, quid hoc rei est? Quę Lelia ista est? Ego Lelia non sum. CRI. Nõne modò ego ac pater, te in cubiculo cõclusimus, vnà cum Cynthia? Nonne tu vltro dixisti te Leliam esse? Sed quid opus, quasi

 ego

ego te nõ agnoſcam? Abi mea vxor, abi, ac tibi detrahe iſtam veſtem. LE. Tam te Dij ament, quam ego maritum expeto. LES. Crito ſic ſunt mulierum ingenia, quæ maxime videtur ſapere, deſipit maxime. Nulla eſt quę nõ aliquãdo ſtultitiam ſuam prodat, quę nõ ineptiat. Verũ vt vt hęc ſunt, celari oportet. CRI. Quod ad me attinet, lapidi dictũ puta. Verum qui nam effugit è noſtra domo? Nam cum Cynthia in conclaui reliqueram cõcluſam. LES. Quam tu ais? Hanccine? CRI. Hãc ipſam. LES. Tu Ædepol falleris Crito, nunquam à me hodie diſceſsit, ac modò ioco iſtã veſtem ſumpſit, vt puellulæ ſolent luſitare, ac me contęmplari iubebat, quã illã deceret. CRI. Tu vis meos oculos ludificari? Hoc tibi dico modò à me relictã in cubiculo bene obſerato, vnà cũ filia. LES. Vnde tu venis? CRI. Ex proximo diuerſorio. LES. Num bibiſti animi gratia? CRI. Pauxillulũ. LES. Abi igitur atq; edormi, poſtea hũc redi. CRI. Sine prius Leliã alloquar, iã illi rem iocũdiſsimam nũtiaro. LES. Quid tãdem. CRI. Fratrẽ eius germanum

num rediisse sanũ ac saluũ, illumq; expecta ri à patre in diuersorio. LES. Fabricium? CRI. Fabricium. LES. Si putarem vera te dicere, iam basiũ porrigerem. CRI. Enim uero pulchram virginem à qua basium expetas. Hoc tu mihi velim à Lelia potius impetres. LES. Iam ego ad illi nuntiãdum propero. CRI. Ego verò vt illi veneficæ scapulas contundam, quæ hanc abire permisit.

SCÆNA QVINTA.

EVLALIA. CRITO.

MIseram me, quid illi stultissimi senes fecerũt? Quid sibi voluerũt? Adolescẽtem vnà cũ virgine cõcluserũt, solũ cũ sola. Quid aliud fecissent, si filiam perditam vellent, si eius amoribus lenones se, ac perductores præbuissent? Quod omniũ est ridiculũ maxime, fœminam esse putant, huius Liuini filiam. Næ iam illi breui experiẽtur, quã nõ fuerit fœmina. Namq; ego satis scio si senex redierit, illos in furto deprehensum iri. Sed o me miserã, eccũ veniẽtem video:

vix nominaueram subito ille apparuit, quid faciam? CRI. Heus sacrilega, quo te proripis? Tametsi fugias, non effugies meas manus. Isthic cõsiste, quid tu venefica Leliam abire permisisti? Quid fores aperuisti? EV. Ego ne? CRI. Tu inquam venefica, quod tibi male vertat. EV. Nusquam illa prodijt quod ego sciam. CRI. Ego illam vidi modò apud nutricem. EV. Ego reliqui illã modò in cubiculo. CRI. Tu mentiris per Iouẽ sacrilega. EV. Immo tu vide, ne tui te luserint oculi. Ego illam me vidisse scio, neque quemquam aperuisse, postquam tu hinc discesseras. CRI. Fortasis illa me anteuertit? EV. Dico nusquã discessisse. CRI. Ego iam periculum fecero, ac si te mentitam deprehendero, væ tuo tergo. EV. Sin autẽ verum dixisse, quid erit præmij? CRI. Exhibe clauem scelesta, iam ego videro. EV. Ego præibo, atque aperiam. CRI. Scilicet, vt cum prestigias mihi feceris, possit elabi, ego per me hoc experiri volo. EV. Metu concutior atque inhorresco, quid iam est quo minus omnes interierimus. Quamquam

quam quid ad me, ille hoc sibi intriuit, ille vnus deuoret, ac luat pœnas stultitiæ suæ.

SCÆNA SEXTA.

FLAMINIVS. EVLALIA. CRITO.

FLAMINIVS.

QVamdudum à vobis noster discessit Fabius? EV. Quid istud rogas? FLA. Quid istud rogem? O perfidum, o proditorem, iam ego illi ostendam quid sit fidem fallere. Nō pudebat vestram Cynthiam pusionem adamare, sui copiā illi facere? Quid iam dicent qui hoc nouerint? EV. Si quid illi indulgebat, tui causa faciebat, quod te amaret, non est quod istud sinistre accipias. FLA. Hoc verò ferēdum est, vt me illa puerulo post habuerit, me neglexerit? Iam ego vbicumq; illū repperero, nares abscindam, oculos effodiam, nihil deniq; in illum suplicij prętermisero. Deosculetur iam tunc illū quantum velit, ac per me sibi habeat. EV. Verum hic dum minitatur, ille alter occa-

ſione perfruitur. CRI. O me perditū, o me proditum, atq; illuſum, o perfidum Liuinū, ac proditorem, ita ne me ludibrio habuit? Sic ſordidū et abiectū exiſtimauit, vt tantā iniuriā ſe putaret impune poſſe facere? EV. Quid eſt here, quid eſt? CRI. Quid ſit rogas? Quis eſt ille adoleſcentulus quē cum filia deprehendi? EV. Quid malū adoleſcentulus? Nō tu te hoc melius ſcis, filiā eſſe Liuini? CRI. Scilicet, quæ filiam meam grauidā poſsit facere. EV. Ah, noli quæſo iſtud dicere, nonne illa Lelia eſt quam tu illic reliquiſti? CRI. Dico illū eſſe maſculum, me miſerum. EV. Vide ſatis exploraueris. CRI. Dico me cū filia vna in lecto deprehendiſſe. EV. Fortaſſe, illi colludebant inter ſe. CRI. Satis ſcio me miſerū, illi ludebant. EV. Hoc profecto credibile nō eſt. CRI. Dico tā eſſe maſculū, vt poſsit vel binos maſculos facere. EV. Quid verò ait Cynthia? CRI. Quid tu vis illam dicere? Me miſerum, ac perditum. EV. Sed de adoleſcēte quid fiet? CRI. Rem ad magiſtratum deferam, vt de illo ſumatur ſupplicium. EV. Vide tamen ne quā

elabatur. CRI. Non poterit: probe obſeratū eſt cubiculum. Sed eccum Liuinum, quod imprîmis optabam.

SCÆNA SEPTIMA.

ALBINVS. LIVINVS. CRITO.

ALBINVS.

EGo Herclè miror quod non iam ille ad diuerſorium redierit, nec quid cogitem ſcio. LI. Geſtabat ille telum? AL. Enſem vt arbitror. LI. Vereor nè in carcerem detruſus ſit, vt eſt hic noſter prętor ad exactiones propéſus. AL. Nō ita oportebat hoſpites inhumane tractari. CRI. Salue multū Liuine, hoc ne tu viri boni, hoc amici cēſes officium? Hoc eius hominis qui noſtrā affinitatē expetat? Quid cogitaſti, quid voluiſti? Tam me pro nihilo ducis? Iam penè dixerim vix me contineo. LI. Quid ſibi volunt iſtæ querelæ, quid tu tibi vis? Qua te ego parte læſi? Nunquā quod equidē ſciam, affinitatem expetiui tuā: tu me adegiſti, tu perpuliſti, et integro anno moleſtus de eadem

re fuisti. Si modò non placet, per me sane dissoluatur. CRI. Audes ne loqui? Quasi vero ego è media fæce vulgi sim? Proditor, perfide, insidiator? Sed iam nihil prætorem celauero. LI. Crito, hæc verba neq; sani hominis sunt, nec quæ te deceāt. CRI. An vero tu prohibebis quominus implorem fidē Deorum, atq; hominum, pessime? LI. Tu isthoc nomine dignissimus. CRI. Dij immortales, quam vellem mihi iuuētæ robur suppetere, iam de isthoc scelerato pœnas sumerem. LI. Possum ne ego intelligere quid tu tibi velis? CRI. Perditissime. LI. Ego nimium obdurui ad istius conuitia. CRI. Furcifer. LI. Plagiarie. CRI. Mētiris per Iouē, Manedum. LIVI. Maneo. AL. Ah. Quæ isthæc insania est? CRI. Retinere noli. AL. Tu verò here, attolle pallium. LI. Tam me ignauum putabas? Rede mihi meam gnatam. CRI. Te atq; illam concerpam. AL. Vnde istæ inter vos rixæ? Num nam ego sciam? LI. Nihil equidem scio, nisi me filiā meam Leliam, eius in domū introduxisse, quam dicebat se velle vxorē ducere. Nunc

vereor ne quam illi iniuriam intulerit. AL. Tu verò tibi tempera, ac reconde gladium. CRI. Mitte me. AL. Quid hoc tandem litis est? CRI. Hic me proditor perdidit. AL. Ne tam ſæui. CRI. Niſi iam illum minutatim concidero, atq; in fruſta concerpſero. AL. Non potis es mihi rem aperire? CRI. Eamus intro, iam tibi à principio rem omnem aperiam. Non tu pedagogus es illius gnati, qui nobiſcum ad diuerſorium venerass? AL. Haud dubie. CRI. Abi igitur intro, iam audies omnia. AL. Modò fides ſit tuto id licere. CRI. Maxime, ne verere.

Actus quinti, Scæna prima.

LIVINVS. LIGVRINVS. SANIO. CRITO. ALBINVS.

LIVINVS.

VOs me ſequimini quotquot eſtis, Ligurine, adeſdum. LIG. Vis me telum geſtare,

ſtare, an ibo inermis? Nam mihi non ſuppe tit. LI. Arripe hinc è domo hoſpitis. SAN. O here cũ iſta parmula? Magis decuerit ha ſta. LIVI. Nihil haſtã moror, ſatis fuerit en ſis. SAN. Hic clypeus fuerit fortaſſe tibi de cẽtior, ſi tunicã exuas. LIVI. Minime, hæc melius tuebitur. Ita ne ille nebulo me vilẽ habuit? Vereor ne meæ gnatæ aliquid iã in-tulerit mali. LIG. O here quid hoc tibi telũ videtur? Ego iſthoc veruto quaſi turdũ defi gam. SAN. Quid tu malũ tibi vis cũ iſto ve ru? LIG. Sum in caſtris diu verſatus, ſcio im primis parãda eſſe quæ ad gulam pertinẽt. SAN. Iſte autẽ cadus? LIG. Vt reficiã mili-tes ſi primo cõgreſſu defecerint. SAN. Hoc mihi imprimis placet. LIG. Vis ne ô here, hoc tridẽte trãſfigere ſimul ipſum ſenem, fi liã, famulos, familiã, deniq; omnes, quaſi fi cedulas? LIVI. Fores apertæ ſunt, vereor ne aliquid ſit inſidiarũ. LIG. Inſidiarum? Male Herclè habet, ego magis fuſtuarium quam ferrum timeo. Sed eccum prodit foras, no-ſter Albipus. AL. Mitte, ego iam tibi rem confectã dabo. LIG. Cauendũ cẽſeo ô here,

ne pedagogus iam cũ ſene cõiurauerit,atq; à te defecerit. Facio ne impetũ,atq; illos incipio trãſfodere? AL. O here quid iſthæc arma ſibi volũt? LIG. Nõ tibi dixi ô here,iſtũ cõſentire cũ ſene? LIVI. Reddat mihi meã gnatam. Tu autẽ Fabricium reperiſti? AL. Sane reperi. LIVI. Vbinam eſt? AL. Intus, perbellam ſibi vxorem duxit. LIVI. Vxorem? Quam tãdem? AL. Huius Critonis filiam perpulchrã. LIVI. Atqui hic me modò parabat occidere. AL. Rem omnem à principio audies, eamus intro. Tu autem Crito prodi hùc. CRI. Rem inauditã ô Liuine audies,ingredere. LIG. Iubes me hũc defigere? CRI. Fac iſthæc tela amoueri, res eſt profectò riſu digna. LIVI. Modò id tutò liceat. AL. Ego ꝓ iſto me tibi cautiorẽ ſpõſorem præbeo. LIVI. Vos domum abite,ac mihi veſtẽ afferri facite. AL. Prodi hùc Fabrici,prodi, vt patrẽ agnoſcas. LIVI. Quid nõ hęc Lelia eſt? AL. Hic eſt Fabricius tuus gnatus. LIVI. O gnate animo meo chariſsime. FA. O pater mihi deſideratiſsime. CR. Ito iam intro, vt rem omnem intelligas,

quin et tuam Leliam apud nutricem Lesbiam esse dico. LIVI. O superi, summam vobis habeo gratiam.

SCÆNA SECVNDA.

DVLIPPVS. FLAMINIVS. LESBIA.

DVLIPPVS.

EGo hisce vidi oculis in nutricis domo, atq; his audiui auribus. FLA. Vide an satis pernoueris? DV. An verò ego nō nossem? FLA. Eamus illuc: si iam deprehendero. DV. Tu rem perturbabis, te contine, donec ille egrediatur. FLA. Vtinā mihi liceat bilem comprimere. DV. Non ego dixi, tu rem turbabis? FLA. Ferre nō possum. Quis intus est? LES. Quis pulsat fores? FLA. Amicus. Hùc progredere. LES. Quid tibi vis Flamini? FLA. Aperi, iam audies. LES. Mane, mox adero. FLA. Vbi illa aperuerit continuò irrumpe, atq; illum vide an ibi sit, ac me voca. DV. Mitte me. LES. Quid noui

rei eſt Flamini? FLA. Immo quid rei eſt tecum meo Fabio? LES. Cui tandem Fabio? Tu autem quo irrumpis procacißime, vis tu mihi domi meæ vim inferre? FLA. Leſbia, per Deos atq; homines tibi iuro, niſi tu iam illum mihi reddis. LES. Quem ego tibi reddam? FLA. Puerum meũ qui iſthùc ad te confugit. LES. Domi meæ, nullus eſt prorſus tuorum, fortaßis aliqua tua. FLA. Nihil eſt hiſce nugis opus. Ego te ſemper Lesbia in honore habui, neq; tu de me male es merita, nunc ita res exigit, ſerio tecum ago. LES. Furor eſt aliquis amatorius, com prime paulisper bilem. FLA. Redde inquã mihi meum Fabium. LES. Iam reddam. FLA. Quamprimum. LES. Ne tam propera. Næ iam ego ſi per ætatem liceret, amorem tuum non magnifacerem. Quid ait nobis tua Cynthia? FLA. Quid illa ait? Si mihi iam liceret, manibus iam concerperem. LES. Hoc tu vero ex animo dicis? FLA. Quid ex animo? Aperuit illa tandem ſuum in me animũ. LES. Digni eſtis magno malo vos omnes, qui ſic proterue honeſtas vir-

gines ludificamini, neq; quicquam est vobis ingratius. FLA. Nihil est quod in me minus cōpetat. Nam vt cœtera vitia agnoscā, hoc tamen ingratitudinis pessime odi, neq; quicquā est a me alienius. LES. Neq; verò id de te dixerim. Sed fuit iam olim puella in nostra ciuitate, quæ cum se à nobili quodam adolescēte adamari intelligeret, ita illi in amore respondit, sic ardenter redamare cœpit, vt nihil aliud dies ac noctes cogitaret. FLA. Beatum illum ac fœlicem, vtinam ego is essem. LES. Euenit deinde, vt pater illam Mutina amandaret aliò, illa vero timens ne amans interea se relinqueret, lachrymis prope confecta discessit. Ille verò quasi nunquam illam alteram adamasset, ita subito animum aliò trāstulit. FLA. Ego verò istum hominem neq; ingenuum, neque liberaliter institutum puto. L E S. Audi quod indignius est. Cum illa aliquot post mensibus rediisset, atque amantis animum ita ab se alienatum reperisset, quo magis pietatem suam erga illum probaret, paternam domum reliquit, oblita hono-

ris oblita nominis sui, famuli veste sumpta, in eius se familiam dedit. FLAMI. Num hoc Mutinæ accidit? LES. Immo verò tu vtrumque amantem probe nosti. FLA. Ego huius amantis fortunam potius optarim, quam Cressi diuitias. LES. Ille verò cum eam non agnosceret alieno cultu, eius opera vtebatur ad suos amores. Quæ quo magis illi gratificaretur, spõte se internuntium ad eam rem præbebat. FLAMI. O amorem inauditum, dignum qui literis ad memoriam posteritatis mandetur. LES. Tu huius amore, non libenter Cynthiæ amorem commutasses? FLAMI. Quid Cynthiæ? Immo ipsam Venerem præ hac repudiassem. Tu verò quæ illa sit ne cęlato. LES. Non equidem cęlabo, modo tu fidem astringas tuam, ac mihi iureiurando promittas per tuum caput, ac quæcumq; sunt tibi charissima, si tu hic esses, quid faceres? An illam mulierem supplicio dignam, an omnibus præmijs iudicares? FLA. Per illum Solem qui omnia intuetur, tibi iuro, meq; diris

omnibus deuoueo, nisi mallem istam habere vxorem, tametsi deformis, tametsi pauperrima sit, quam Galliarum regis filiam. LES. Vide quid dicas. Ita mihi iuras. FLA. Ita iuro ter, et millies. LES. Tu testis ades Dulippe. DV. Sat scio non mutabit ille fidem. LES. Ego iam istam tibi ostẽdam virginem, atq; ingratum illum amantem, hic in conspectu collocauero. Fabi, heus Fabi, adesdum vocat te herus tuus. FLA. Quid tu censes Dulippe, necabo illũ an non? Negari non potest, erat ille non male morigeratus. DV. Ego mallem illi parceres, neque enim tam illum quam Cynthiam accuso, quæ tibi ex animo nunquam bene voluit. FLA. Verum me Herclè dicis.

SCÆNA TERTIA.

EVLALIA. LESBIA. FLAMINIVS. LELIA.

EVLALIA.

MIhi erit curæ, ego rem totam Lesbiæ vt gesta est à principio, narrauero.

LES.

LES. Hic est ô Flamini, tuus ille Fabius, cõ templare satis, vide an pernoueris. Hæc est illa summa fide et cõstantia mulier: hæc illa cuius tu amorem aspernabaris. Quid mira ris? Quid obstupescis? Tu verò ingratus ille atq; inhumanus. Nunc vide an tibi cõstes, an fidem negligas? Alioqui te in singulare certamen prouocauero. FLA. O inauditũ spectaculum, o rem prodigiosam. Ego mihi videor cæcus ac delirus, qui illam nunquam potuerim agnoscere. DV. Ego mi quoq; succenseo, qui pene millies te admonere volui, nescio quo pacto nostri oculi lu debantur. EV. Te ad se continuò Lesbia ve nire iubet Liuinus. Nam filio suo Fabricio, qui modò rediit, vxorem dedit. Scis nemi- nem illic isse, qui possit apparare, quibus est ad nuptias opus. LES. Vxorem? Quam tan dem? EV. Cynthiam Critonis heri mei filiam. FLA. Critonis filiam, heri tui an alterius? EV. Heri inquã mei. Tu Flamini existimabas dormiẽti tibi fortunam in manus rem allaturã? FLA. Pro certo narras? EV. Certissimo: ipsa interfui cum despondeba-

tur,cum in manum conuenit. Vidi inter se complecti,basiari,quid vis amplius? FLA. Quam dudū isthæc gesta sunt? EV. Modo modo. Continuò hūc missa sum, ad accersendam Lesbiam. LES. Dic me cōtinuò ad futuram iam,atq; abi. LEL. O superi quam multis nominibus gaudendum est mihi. EV. Ne morare, non vacat spectare mihi: sed oblita sum quod imprìmis rogatū oportuit,an Lelia apud te sit? Namq; inter senes conuenit vt illam Crito vxorem ducat. LES. An verò persuadet sibi illud spectrū, se hanc vxorem ducturum? Quem nihil pudet? EV. Tu non satis pernosti herum meū quam sit ferocul us? LES. Scilicet,tu experta es fortassis. FLA. Quid hoc rei est? Critoni vult illam vxorem dare? LES. Illi ipsi. Me miseram,vide an tali marito digna sit. FLA. Hanc verò nunquam ille ducet, si quid ego possum, denique Lesbia quod dicendum hìc fiet,ego isthùc sine Dei consilio gestum non puto,qui huius optime virginis ac mei misertus est:mihi certum est, nisi quid aliud tibi videtur,nō aliam quam

te vxorem Lelia ducere. Quod si non contingat, in perpetuo cœlibatu mihi viuendũ est. LEL. An possum ego aliud velle, quam quod tu Flamini iusseris? Tibi perpetuo obsecuta sum, tibi me totam dedidi, non est quod in præsentia repugnem. FLA. Istud verò mihi obscurum nõ est. Dabo operam ô Lelia, vt illam acerbitatem atq; ingratitudinem meam, multo amore pensem, ac tu de me quascũmq; velis pœnas sumas. Modò ne qua res hanc mihi fœlicitatem interturbet, nolo nuptias differre: sed te mihi iam nunc in manum conuenire. LES. Facis Ædepol quod te dignum est Flamini, qui tam bene de te meritæ, sic gratiam refers. Deum precor vestrum coniugium fœlicitet, vobisq; det pignora fœlicissima. DV. Quid igitur iam reliquum est, quam vt intro eamus omnes; vt peragantur nuptiæ? LES. Abite: ego ad senem propero, vt illi lætum hunc nuntium, Critoni verò tristissimum afferam. Tu vero Dulippe, sacerdotem continuò accersiri facito.

SCÆNA QVARTA.

LIVINVS. LESBIA. LIGVRINVS.

LIVINVS.

ITa gaudeo filium meum Fabricium reperiſſe, vt nihil mihi iam poſsit non è ſententia contingere. Itaq; has nuptias valde probo, quod et Flaminio bene volo, et hac vna ratione filiæ honori conſultum puto. LES. Quãto ſatius hoc eſt, quã ſi illi laruæ nuptum dares? Sed intro iam eamus, vt videamus quid noui coniuges faciant. LIG. Vos ſpectatores nolite ſpectare, vt iſti exeant, nam quæ longa eſt fabula, fieret longiſſima. Valete, et plaudite.

Finis.

Fabulæ interlocutores.

NVTRIX.	
POLYMNESTA,	Virgo.
CLEANDER,	Iuris peritus.
PASIPHILVS,	Parasitus.
DVLIPPVS,	Seruus.
CRAPINVS,	Seruulus Erostrati
EROSTRATVS,	Herus.
SENENSIS.	
SERVVS.	
CHARION,	Seruus.
DALIVS,	Coquus.
DAMON,	Pater Polymnestę.
NEBBIA,	Seruus.
PISSITERIA,	Ancilla.
PHILOGONVS,	Pater Erostrati.
LYCVS,	Seruus.
HOSPES,	Ferrariensis.

Comœdia

IOANNIS Petrei Toletani,

COMOEDIA SVPPOSITI.

Prologus.



Vm primum hanc noſtram au
diet comœdiam
Suppoſitorũ appellari nomine
Auditor linguæ nõ peritus Latiæ:
Idem putabit nos vel Chriſippeas
Hũc ad vos nugas,et vana ſophiſmata,
Aut brunellorum,aut fabellorũ gregem,
Aut illum ſæpe nominatum,nulli cognitũ
Multiformem(inquam)illum Sortem pro
ducere...
At qui naſo paulò ſit inuerecundior
In nos paraſiticam torqueat licentiam
Et Priapeis perſtringet ſcommatis.

At

At qui Romani gnarus sit eloquij
Supponi puerum ab obstetrice intelliget,
Cum aliū pro filio parienti subijcit:
Atq; illū alterum vel exponit vel educat.
Aut qui se eum esse dicit, qui sit minime.
Sic senex pro sene, et iuuenis supponitur
Pro sui simili: vnde et comœdia
Suppositorum appellata est nomine.
Hanc Ethruscorum è lingua patria
Romanis auribus loquentem fecimus,
Sic attemperantes stylum, vt congrueret
Non insulsè hîc peregrinus lepos.
Id magnorum virorum exemplo fecimus:
Quorum æternitati consecrata opera
Terūtur manibus: quos miramur, colimus.
Illi ex Græco emporio
Inuexere Latio splendorem admirabilem,
Et linguæ adauxere magnificentiam.
Quorum si quisquam audet reprehendere
Præclaros conatus: nos ei non veremur
Displicere: atq; adeò laudi ducimus.
Quin potius animū, atq; aurem adijciat
Auditor emunctiori quisquis est ingenio.
Quàm sit argumento vario et multiplici,

Astu referto, et dolis.
Quãtis in personis decor, quã apta oratio:
Quàm nihil ociosi, nil superuacanei,
Et verbis et sentẽtiæ quàm cũcta cõgruant
His quæ finguntur: tum et id consideret
An nos vertendo ex Ethruscis bonis
Latinas fecerimus non bonas. Quidquid id
est.
In tuam elaboratum gratiam Rector am-
plissime
Putare debes: te duce et auspice,
Et nostri conatus, et studiosorum omnium
Magnos iã fructus et incrementũ fecerint.
Nam præter humanitatẽ tuã, et candorem
Quem tibi naturæ indidit benignitas,
Vix quisquam te vno tractauit ardentior
Sollicitudine et cura, publica munia.
Quo fit, vt te moderatore gaudeat
Respublica: lætentur boni, exhilarescant
Musæ: gratias agant studiosorum cœtus.
Tuumq; magistratum (si liceret) optẽt per
petuum.
Non hîc apparatum et strepitum inanem
Ornamentorum, et operosas ineptias dely

ramenta.

Puerilia volo consideres, vbi nil ingenij
Elegãtiæ nihil: sed argumẽti vel festiuitatẽ
Vel candorem, et puritatem linguæ,
Vel pronũtiationẽ emẽdatam et expressam
Moderatis gestibus.

Argumentum.

PHilogonus Cataneus Siculus mercator non ignobilis, vnicum filium Erostratũ Ferrariam mittit, iuri ciuili daturum operam, vnaq; cum eo Dullippum seruũ, quẽ olim emptum, quinquennem domi educarat. Vixdum Erostratus Ferrariam ingressus; Polymnestæ virginis amore captus, quæ Damonis erat filia, commutato nomine et cultu cum Dullippo seruulo: ita vt ille Erostratus, ipse vocaretur Dullippus, cum in huius Damonis famulitiũ sese dedisset, occasionem habuit furtiuæ consuetudinis cum Polymnesta: quam cum vxorem pa-

ter vellet dareCleando Iuris perito eam ob nixe petenti, ibi verus Eroſtratus Dulippo ſeruo iubet eandem contra petere ad afferē dam aliquā nuptijs moram: curſitat inter vtrunq; Paſiphilus paraſitus, vtriq; operā, neutri fidem præſtans. Ad eam rem cōmo dius efficiendam, cum authoritate patris eſ ſet opus, Senenſi cuidam perſuadet Eroſtra tus ſe tantiſper Philogonum patrem ſimu let, quò ſua apud Damonem promiſſa, fidē habeant. Interea domi Eroſtrati furtum cū Polymneſta deprehēditur. Superuenit eius pater, qui ex Sicilia filium viſurus venerat: et primùm in illum ſimulatum Philogonū incidit. Dum ſuum in illo nomen, cęteraq; omnia cognouit, multoq; magis cum à Du lippo ſeruo ſuo tanquam ignotus excludi tur; confuſus et admirabundus ſtupet, rem ad magiſtratus delaturus. Cleandrum ad uocatum cōſulit, mutuiſq; ſermonibus tan dem Dulippus Cleandri filius agnoſcitur. Hic ad Damonem deducit Philogonum: eiuſq; interuentu Philogoni filio Eroſtrato nubit Polymneſta.

Actus primi, Scæna prima.

NVTRIX POLYMNESTA, virgo.



Vãdo nemo eſt,qui nos videat, procede hùc in viam Polymneſta,ſaltem licebit circumſpectare,ne quis nobis inſidietur. Nã domi noſtræ,lectos, thecas , fores,parietes ipſos auritos puto.POL.Quin tu culcitras adde, et pulvinaria.NVT.Tu quidem ludis:at ego vellem,iſtis tuis amoribus aliter conſuleres, quàm nunc facis. Sæpe te admonui , ne cum Dulippo palàm videaris colloqui.POL.Quid non loquar,quemadmodum et cum reliquis?NVT. Quam ob rem nolim;dixi equidem tibi aliâs. Tu tamen mauis morigerari tibi,atq; animo tuo obſequi,cum et me,et te , et Dulippum (ſi ita pergis)ſis in magnum coniectura diſcrimen. POL. Scilicet,ingens periculum. NVT. Tu te videbis. Certè illud oportebat tibi eſſe ſatis , quòd mea opera noctes

omnes vestris amoribus fruimini, tametsi id inuita faciam: maluissem enim honestius amorem tuum collocasses. Et certè dolet magnopere, quòd tot conditionibus tam splendidis spretis, adolescentibus, qui tibi placere gestiebant, quiq; tuas nuptias ambibant, nunc demum seruulo tui patris indignissimè te obtuleris. Vnde quid aliud nisi dedecus et infamiam expectes. POL. Atqui horum omnium quis alius author stetit præter te mea nutrix? quæ mihi eius formam, comitatem, elegantiam prædicans, quàm me miserè deperiret, in eius amorē accendisti: atq; inde adeò hæc omnia? NV. Non diffitebor eum me tibi principio commendasse, adductam cōmiseratione, et quotidianis precibus. POL. Precibus? Immo vero precio. Neq; tu vnquam illum tanti penderes, nisi aliquid tibi penderet. NVT. Vt lubet. Illud verò persuadeas tibi velim, si rem in eum locū deuenturam credidissem, nulla ratione, nec precibus, nec precio de illo tibi mentionem fecissem. POL. Quis primum in lectum meum illum deduxit

præ-

prætet te? Quis alius niſi tu vna? Sed mitte modo, ne me ad inſaniam redigas. NVT. Eſto, quandoquidem huic malo fuerim caput. POL. Immo verò totius boni origo et fons. Neq; enim (vt ſis ſciens) mea nutrix, ego Dulippum vt ſeruulum patris amo, vt tu videris credere: immo verò honeſtius amorem meum collocaui, quàm tu exiſtimas: hoc tibi ſit ſatis, nec fas eſt vlterius me progredi. NVT. Gaudeo, quòd animũ tuũ mutaueris. POL. Immo verò nil mutaui, nec mutaſſe vellem. NVT. Quid igitur ais tu? POL. Neq; Dulippum, neq; patris ſeruum amare, neq; mutaſſe ſententiam, neq; ſi liceat lubere. NVT. Ediſere mihi clarius: neq; enim cõueniunt inter ſe, aut ego prorſus nihil intelligo. POL. Non licet apertius loqui: obſtrinxi fidem, ne cui dicerem. NVT. An tu times, ne parum cęlem? Cuius tu fidem experta ſis in re tanta, vbi de vita, et de honore agitur, eam tu ſuſpectam habeas in re, quantum ego ſuſpicor, nõ magni momenti? POL. Atqui maioris eſt, quã cogitas, dicam: tamen ad te recipias: non ſo

lùm nemini verbis, sed nec nutibus quidem indicaturã, vnde vlla suspitio suboriri possit. NVT. Ita recipio: meq; totam tibi astrin go. Quam ob rem age, tuto loquere. POL. Age igitur. Hunc, quem tu Dulippum putas, atq; ita nominari audis, scito Siculum esse, nobili familia, et præclaris ortũ parẽtibus: nomen illi verum est Erostratus: pater Philogonus Cataneus, ex patricijs eius ciui tatis, et principibus regionis eius. NVT. Quid ais? Erostratus? Nõne Erostratus hic peregrinus est vicinus nobis, qui tuas petit nuptias? POL. Audi, si vis: ego tibi rem om nem aperiam. Quem hactenus tu Dulippũ credidisti, is verus Erostratus est: quem pater huc ablegauit studiorum gratia. Is vbi primum naui egressus est, me obuiam conspicatus, mirum est, quá mei amore flagrare cœperit, vt è vestigio animo prorsus im mutato, libris neglectis, cultuq; literario, decreuerit in me vnã omne suũ studiũ trãsferre. Cuius rei occasione, vt me videret, et vnà colloqueretur, cum vestitũ, nomen, cõditionem cum Dulippo seruo cõmutasset,

quem

quem ex Sicilia secum adduxerat, repente ex Erostrato domino, factus est seruulus. Sub eo habitu, quem vides, cœpit amori in seruire. Atq; ita dexteriter se gesit, vt paucis post diebus se in nostrã familiã dederit, patri famulũ præstiturus. NVT. Atq; hoc tibi pro certo est? POL. Longe certisimũ. Ille autem Dulippus seruulus adoptato nomine Erostrati libris instructus, reliquoq; apparatu, quem herus attulerat, multoq; magis authoritate cõmendatus, quod Philogoni Catanei filius crederetur, ita processit in literis, vt ad hoc nomen, quod nũc obtinet, breui peruenerit. NVT. Quid ita? Nemo ne ciuis hic est ex eadem regione? aut qui tanto tempore hâc iter fecerit, qui illorum consilium aperuerit? POL. Nulla nobiscum ferè sunt Siculis commercia: et quia tam longè abest, raro hũc illi commeant. NVT. Sanè id optato vobis accidit. Veruntamen quî potest hoc conuenire, cum hic ipse scholasticus, quem tu Dulippum vis esse, tuas nuptias tàm sedulò ambiat? POL. Id factum est ad distur-

bādos conatus illius iuriſperiti, qui me tam obnixè expetit. Sed quid hoc eſt? En tibi illum: nonne vides deambulantem? O elegātem procum: quiduis potius patiar, quam vt illi nubam. NVT. Et meritò ſanè. Nōne vides illum, vt pompoſè incedit, ſeſe nobis velut oſtentans? Quid poteſt eſſe inſanius amante ſene?

ACTVS PRIMI SCÆNA ſecunda.

CLEANDER, Iuriſperitus. PASIPHILVS, Paraſitus. DVLIPPVS.

CLEANDER.

NOnne modò illic quidam pro foribus deambulabant? PAS. Deambulabāt ſanè ſapientiſsime Cleander. Quid ita tu nō vidiſti tuam Polymneſtam? CLE. Nūquid ibi aderat? Miſerum me, nō vidi. PAS. Nec mirum ſanè: lux enim hodie ſubnubila eſt, et aër paulo turbidior. Equidem illam magis ex cultu, quā ex facie noſcitaui. CLE.

Ego

Ego verò visu-sum perspicatiore, gratia superis, quã pro hac ætate. Nec mihi videor admodum ab illo tempore differre, quo annum agebam vigesimum quintum, aut trigesimum. PAS. Quid ais? Nunquid prouectior es? CLE. Arbitror me quinquagesimum sextum attigisse. PAS. Fortasis decẽ subtractis. CLE. Quid ais decẽ? PAS. Aiebam decem fortasis te addere. CLE. Est sanè, vt tibi dixi. PAS. Commoda nimirum ætas: vt facies tua indicat, attinges centesimum. Porrige hùc manum, cõtemplabor. CLE. Nũquid nosti Chyromãtiam? PAS. Est quisquam, qui in ea arte plus profecerit, aut diutius versatus sit? Porrige hùc, sine me contemplari. O pulchram et integrã lineam. Vix vnquam tam longam mihi videre contigit. Tu videris vel ipsum Melchisedec viuacitate superaturus. CLE. Tu fortasis dices Matusalem. PAS. Sanè eundem esse putabam. CLE. Satis apparet, quàm sis egregiè versatus in biblijs. PAS. O quam egregia est hæc linea, quæ Veneris appellatur. Vellem mihi dari ocium, vt narrarem

tibi omnia. Sed licebit postea: manè præsertim dicam multa, quæ tu admireris. CLE. Erit sanè pergratū. Sed vt ad rem redeam mi Pasiphile, vtrum tandem censes mallet illa sibi maritum dari, me ne, an Erostratū? PAS. Haud dubium id est, quin te pluris sit factura. Est illa quidem, si qua vnquam, fœmina cordatissima: nec dubiū, quin tuam dignitatem, tuasq; literas multo magis admiretur, quàm quidquid ab illo scholastico expectari possit, quē ego apud suos esse arbitror infimo loco. CLE. Atqui apud nos mirum est, quám superbū prædicet genus suum. PAS. Et facit, mea quidem sentētia, sapienter, dum non est, qui illum mendacij coarguat. Sed glorietur ille per nos quantū libet: mallem ego scientiam et nomen tuū, quàm vniuersam Siciliam. CLE. Nusquā decet laudare seipsum: sed si quādo verum dicendū est, scito ex hac mea facultate multo vberiores fructus percepisse, quàm si amplissimū patrimoniū relictū fuisset. Ego, vt sis sciens, ex Tarēto patria mea à Turcis expugnata et direpta profugus nudior Leberide,

de, nec pillo quidē, inde me Patauiū recepi. Ab eo quidem tēpore tum profitēda doctrina, tum caußis agēdis, tum etiā consulendo rem coëgi ad decē ferè ducatorū millia, et eo amplius. PAS. Has ego veras virtutes, hāc veram philosophiā semper existimaui. Nam altera philosophia poësis, nugę, tricę, somniū. CLE. Rectè, Hercle, dixisti tricas. Nam ex alijs paleas, ex istis collige grana. PA. Facetū, meHercle, carmē. Tuū ne est? CLE. Quid meū? Ex glossa quadā elegātissima, qua nō est cōmendatior in toto corpore iuris. PAS. Atqui Virgilianū putaui. Sed tu nō dubiū est, quin multo auctiorē pares rem, et lautius patrimoniū, quā quod Tarēti reliqueras. CL. Hui, triplo et q̃druplo copiosius. Sed iacturā feci Pasiphile rei omnino charissimę filij annos quinq; nati, in illo ipso tumultu, et nocturna expugnatione: quē quidē gestabā in oculis, cui⁹ meminisse sine lachrymis nō possū. PA. Extremū mihi narras infortuniū. CL. Nūc viuat necne, incertū est: fortaßis alicubi durā seruit seruitutē miser. PA. Miseret me profecto tui:

ſed iſtam ægritudinem mitiga. Spero Polymneſta numeroſa prole iacturam reſarciet. CLE. Sed tu quid ſentis de hac procraſtinatione? PAS. Patrum hoc eſt, dum cunctantur, dum diſpiciunt conditiones filijs, abit ſeculum. Sed ego non dubito, quin te tandem vel vltro obſecret, et ſecum bene actum putet. CLE. Nunquid dixiſti tu illi, me arrhaboni dixiſſe illi duo millia aureorum? PAS. Tu me negligentem putas, qui iſtud rogas? CLE. Quid ille ad hæc? PAS. Nihil aliud, quàm tantũdem pepigiſſe Eroſtratum. CLE. Quî poteſt fieri? Aut quî poteſt obligari adoleſcens manceps minor viginti quinque annis filius familias? PAS. Quid tu cenſes me nõ et iſtud admonuiſſe? Nugæ. Crede mihi, tuus ille riualis, niſi in ſomnis, potietur illa nũquam. CLE. Immo agè, miſſa iſthæc facio. Tu mi Phaſiphile, ſi quando rem es facturus gratam, Damone cõuento, mihi quàmprimum eſt opus. Dic vnam eius filiam expetere me, remittere ceteros ſumptus: eſt, Dijs gratia, vnde et indotatã accipere poſsim: ac ſi ſit opus, duobus

milli

millibus aureorum ego dotem dicam, et si id satis non est, quinq; millibus: præterea quantum volet. Abi igitur, atq; hoc confe-ctum mihi redde: scio te solertem. Nunquã à me illã dimittere est animus, quoquo pa-cto se res habeat. Age ne morare, si me a-mas. PAS. Sed ego vbi te postea inueniam? CLE. Domi maneo. PAS. Quota hora? CLE. Quandocunq;. Inuitarem te ad cæ-nam, nisi ieiunarem: nam hunc Diuum ha-beo aduocatum. PAS. Ieiuna vel ad interi-tum vsq;. CLE. Ausculta. PAS. Aduoca ti-bi mortuos, qui etiam ieiunant. CLE. Tu me non audis? PAS. Tu me non intelligis? CLE. Iam scio irasceris mihi, quod te nõ in uitaui. Si frugalitatem nostram non asper-naris, esto vt velis. PAS. Tu mihi deesse pu-tas, vbi excipiar opipare? CLE. Minime ve-rò mi Pasiphile. PAS. Atqui pro certo ha-beto: atq; etiã vltro accersor. CLE. Sed for-tasis ad nullum accedes tam gratus conui-uã. Age, te domi expecto ad cænam. PAS. Age, et ego tibi iam cõfectum dabo. CLE. Vide lætus ad me nuntius reuertare. PAS.

Tu etiam vide,mensam mihi pares, et patinas instructissimas. O hominem miserum et sordidum:ieiunium fingit,quo me cæna excludat.Quasi verò illius ore,et nō potius meo pransurus essem. Aut tam sumptuosè et opipare hominem excipiat, vt perpetuò illi deuinctum me putare debeam. Præterquam quòd omnia quæ apponuntur , sunt sordida et vilia:multum tamen interest inter illius prandium et meum. Nunquam idem vinum apponitur : nunquam eodem pane,eodē obsonio vesceris. Sibi primùm optima quæq; apponi iubet. Cum tu interim saliuam deglutias,spectator magis accumbas quàm conuiua. Et pro hac cænula putat immortalem sibi deberi gratiam: omnemq; operam,quam illi impenderis,abundè pensatam.Septem iam annos totos detritus sum illi inseruiendo,nec arbitror me ab illo recepisse teruntium vnum. Nisi forte id credit,suam gratiam mihi satis esse,superq; : aut quod aliquando ægrè in nostra causa vix vnum verbum vi coactum exprimat.Egregiè sanè tibi prospexeras Pasiphi

le, nisi aliunde tibi prospexisses. At ego ana tis vitam viuo, quæ nunc in aquis, nunc in terra victitat: vbicũq; lætiorem pastum inuenio, eò protinus aduolo: nec minus me familiarem Erostrato, quàm huic nostro præbeo: atq; ille me amiciorē experietur, cuius ego mēsam benigniorem experiar. Nũc ita vtrũq; mirificè tractabo, vt cũ alter nesciat intimum esse alteri, tamen ne me celet sua cõsilia, dum putabit rem suã me agere, atq; alteri insidiari: quoquo modo res eueniat, efficiam, vt vterq; mea opera victoriã partam putet, etiam gratias agat. Sed Dulippũ video Damonis seruulum, ab illo sciam vbi herus sit. Quonã Dulippe?. DVL. Quęsiturus aliquē hero meo cõuiuam, ne solus prãdeat. PAS. Otiosus esto: neminem hominũ reperire potes me vno, aut commodiorem, aut paratiorem. DVL. Nõ est facultas inuitãdi tam multos. PAS. Quid multos, malũ? Solus ibo. DVL. Solus? Hui, quî potes, cum decē lupos in stomacho videaris circũferre? Tãta est voracitas tua. PA. Ingeniũ miserorũ, inuidēt ijs, quos sciũt apud dominos sem

per

per esse in gratia. DVL. Quã ob rem id fiat, ignoras fortasſis. PAS. Quòd dẽtes habeãt arbitror. DVL. Immo verò quòd linguam. PAS. Linguam? Vah. Dic mihi quæso, qua in re tibi à me orta est iniuria. DVL. Iocabar equidem, mi Pasiphile: abi iam intro: dudum te expectat herus.

ACTVS PRIMI, SCÆNA tertia.

DVLIPPVS solus.

Væ misero mihi, hoc malũ reintegraſcit indies: nec poteſt vllis in melius cõuerti conſilijs. Credideram hoc vnum amori meo certum remedium, ſi cõmutato et nomine et cultu cũ Dulippo meo ſeruulo, me in huius Damonis famulitiũ darem: id pro certo habens, quemadmodum fames cibo, ſitis potu, igni frigus, cœteraq; itidẽ huius generis paratis remedijs ſubleuãtur: ſic etiã noſtram hanc ægritudinem tanta occaſione, tanta copia perfruendi amoris mei lenitum iri. Vbi ſemper Polymneſtam videre

liceat,

liceat, colloqui, ſæpe nocturna etiam cõſue
tudine, et furtiuis amplexibus frui. Hæc
ego et ſimilia putabam, et deſiderium meũ
ſatietate extingui tandem poſſe. Sed væ mi
ſero mihi atq; infœlici: vnus amor inter af-
fectus inſatiabilis eſt. Bienniũ iam eſt, quòd
ſub ſpecie ſeruili dum me ſimulo Damonis
ſeruulum, nihil aliud quàm amori ſeruio: à
quo quidem, quæ eſt eius humanitas, quæ
alius ne optare quidem auderet, impetraui
vnus omnia liberaliter. Nunc in tantis co-
pijs cum ſperandum erat fortunas meas in-
dies auctum iri, in periculum miſer venio
amittendi omnia. Quid faciam? Quid opis
petam, ſi mihi eripitur, ſi Cleandro datur?
Qui opera improbiſsimi huius paraſiti ni-
hil non molitur, vt illam ducat: tum verò
non tantum nocturnis hiſce voluptatibus
carẽdum erit, ſed aſpectu et alloquio. Eam
enim iam ſuſpicor hominis futurã zeloty-
piam, vt vel paſſerculos præuolantes ſuſpe-
ctos haud dubie habiturus ſit. Spes erat ali-
qua huius ſeruuli mei induſtria (qui acce-
pto in ſe et nomine et ornatu meo, egregiè
men-

mentitur personam meam) posse huius im portunissimi senis disturbari consilia inuẽto illi hoc riuali, et malo nodo (quod aiunt) malo inuento cuneo. Sed cauillator iurispe ritus nouas cõditiones comminiscitur, quo Damonem in suas partes trahat. Sed viso iam quid noui commenti mihi erit. Dixit excogitasse se, promisit eum se laqueum pa raturum, quem vulpes illa non effugeret. Toto hoc mane nusquã vidi. Viso an domi sit. Si ita est in fatis, nullum esse nostris ma lis exitum: interim tamen aliqua spe vel va na animum lactet. Sed paruulum eius video exeuntem foras.

ACTVS PRIMI, SCÆNA quarta.

DVLIPPVS. CRAPINVS, seruulus Erostrati.

CRapine, vbi nobis Erostratus? CRA. Vbicũq; illum inueneris, ibi scito esse

haud

haud dubie. DVL. Veterator; vbi inueniā rogo. CRA. Vbicunq; erit, illic necesse est inuenias. DVL. Si iam inuolaro tibi in capillos, faciam te respondere ad rem. CRA. Ego me in pedes. DVL. Expecta paululū. CRA. Non vacat. DVL. Certemus cursu, si mauis. CRA. Oportebat me lōgo spacio præcauere, nam tibi longissimæ sunt tibiæ. DVL. Age tandem quæso serio. Vbi nobis Erostratus? CRA. Valde manè prodijt in publicum, necdum redijt: modò obuiū me in foro, hanc fiscedulam iussit petere, et cū ea cursitare ad obsonatorem Dalium, qui me iam dudum expectat. DVL. Abi iam, ac si occurrerit, dicito peropus esse mihi illo conuento. Sed egomet potius ibo, iam fortassis inuenero.

Actus secundi, Scæna prima.

DVLIPPVS. EROSTRATVS.

QVamuis oculatior illo Argo, qui centũ habebat oculos, fuiſſem, tamen ſatis non eſſem ad inueſtigandum toto foro, totis porticibus hominem iſtum, quem Dij, Deæq; omnes perdant. Scholaſticus non fuit, aut doctor, aut homo potius tota Ferraria, qui non occurrerit centiens, pręter vnũ Eroſtratum. Fortaſsis redierit iam domũ. Sed quid hoc tandem? Venientem video? Ipſus eſt. Expecta. EROS. Peropportune ô here te nobis offers. DVL. Ha ha. Vide ſis, vocato me Dulippum. Conſerua eandem, quã peperiſti tibi et volũtate mea, et nomine opinionẽ. EROS. Nihil refert, vbi ſine arbitro ſumus. DVL. Saltem ne imprudenter excidat, et prodas noſtra cõſilia omnia. Quam ob rem obſerues diligenter oportet. Sed age quid noui affers? EROS. Confecta res eſt: cauſam vicimus. DVL. Beatum me, ſi vera prædicas. EROS. Audies. DVL. Ego verò totus audio, atq; adſum. EROS. Obtulit ſe mihi heſterna nocte Paſiphilus paraſitus: quem quidẽ (quod fuit impetrare facile) ad cænam duxi. Ibi et comitate et

largo

largo cibo potuq; ita hominem demulsi,ita intimum feci mihi,vt omnia Cleandri consilia effuderit in medium.Neq; ea quidē cęlauit, quæ Damon statuit de his nuptijs, idemq; pollicitus in posterum omnia ad nos delaturum.DVL.Ne fidas,quæso, homini:ne te negligentem fecerint magnifica eius promissa.Perfidia est plusquā Punica: vafricies plusquam Cretensis. EROS. Nō profectò me ille fallet.Sed quę modò dixit, manibus tenentur.DVL.Tādem quid ait? EROS.Decreuisse Damonem,filiam iuris perito dare,illi offert arrhaboni aureorum duo millia.DVL.Hæc sunt illa perpulchra atq; adeò bellissima,quæ nuntiaturum dicebas,causam vicimus? EROS. Ne pergas male ominari,priusquā rem audias.DVL. Age,loquere.EROS. Ego contra respōdi, me tantundem illi promittere, daturum vltro.DVL.Egregiū responsum.EROS.Atqui scopulos nondū prætervectus es. DV. Et est ne mali quicquam amplius? EROS. Intelliges.Aliud rogo, qui poterāt promissa mea rata haberi, nisi pater author face-

ret?DVL. Apparet te quàm me diligẽtius dedisse operã iuri. EROS. Nec tu omnino lusisti operam: sed quem lectitabas librum, non erat hoc argumento. DVL. Mitte verba: ad rem redi. EROS. Dixi, me habere à patre literas, quibus propediem huc se venturum significabat, meo nomine Damonẽ peroraret, prorogasset per quindecim dies nuptias, me nõ dubitare, quin vbi Philogonus pater venisset, omnia comprobaturus esset, et habiturus rata, quæ nos hic confecissemus. DVL. Bene habet: quindecim amplius viuo. Sed quid tum postea? Causæ nec quicquam est, quin cõtinuò moriar. Pater, Herclè non veniet, atq; haud scio, sit ne hoc multo incõmodius, venire illum. Væ mihi misero. EROS. Pergis te iam in desperationem conijcere, quasi obdormiscendũ sit mihi in tuis rebus? DVL. Si quid habes solatij, si quid opis, amabò, adiuua me. Iam dudũ mihi videor deficere, et concidere hæc audiens. EROS. Age, ausculta. Manè hodie exieram commodùm porta Collina in campum id confecturus negotij, quod tu te nosti:

sti:sed noua oblata occasio auertit me ab eo consilio,id quod in rem tuam esse arbitror. Vix processeram mille passus,occurrit mihi quidā in equo,vt videbatur non ignobilis,prouectiore iam ætate, tres illū comites sequebantur:salutantem resalutauit perurbanè:vnde,quò iret rogo. Venetis,inquit ille,redire se in patriam,(Erat autem Senensis.)Ego continuò,velut admirabundus,et qui illius fortunas commiseraret, quid inquam,tu Senēsis cum sis,Ferrariam venire audes? Quid ita non venirem? respondit. Tunc ego. Nescis in quantum te conijcias periculum miser:si Senensis cum sis, Ferrariæ deprehendaris?Tunc ille cōfusus et tremens equū sistit,obnixè orat, ne quid eum cęlem. DVL. Atqui ego huius fabulæ exitum non inuenio. EROS. Satis credo: sed ausculta. Tum ego oratione paulo altius repetita:Quia apud vos aliquando, cum illic agerem studiorū gratia benignè exceptus sum,videor mihi hanc debere gratiam Senensibus,vt illos quoad liceat,omni ope et cōsilio iuuem,si quādo res exigit. Proinde

nõ eſt, quòd dubites, me cõſulturum rebus tuis quamdiligentiſsimè. Sed illud miror, quòd nõ audieris, quàm inſigni cõtumelia affecti ſint noſtri apud vos oratores, cum Neapoli redirent. DVL. Quam ego audio comœdiam, hoc ad me pertinere poteſt? EROS. Et quidẽ maximè: pergo narrare. Hi noſtri oratores, cum multa impedimenta ſecum ducerẽt, equos, precioſam ſuppellectilem, phaleras, vnguenta, ſuffimenta, aliaq; id genus, quæ dono mittebantur duci noſtro, à rege Neapolitano. Ibi tunc quęstores Senenſes progredi nõ patiuntur, niſi ſoluto prius portorio. Contra noſtri obteſtabantur ad ducem illa pertinere, nõ æquum illos facere, qui portorium exigerent: nihil tamen obteſtationibus, nihil tabulis profectum eſt, quominus omnia ad obolum vſq; tanquam à vilisſimo mercatore, et cerdone penderentur. DVL. Ego neq; principium neq; exitum huius fabulæ inuenio. Ad me pertinere arbitrer? EROS. Non tu tibi obtẽperas? Quid ita impatiens es? Ibi tũc noſter dux, id cum comperiſſet, literas dat ad ſenatum

tum Senensium, eoq; Scribam suum cõquesturum de iniuria legat. At illi sic inhumanè, sic indignè, sic inciuiliter acceperunt, vt prior contumelia toleranda iam non videretur. Ea res sic exacerbauit, sic accēdit animum nostri ducis, vt iurarit, neminem se in suis finibus Senensem passurum, quē nõ expoliatum, ac depilatum, pessimeq; accēptũ turpiter dimittat in malam rem. DVL. Quorsum hoc totũ et tam repētinum mēdacium? EROS. Iam scies: intelliges autem nihil potuisse excogitare cõmodius. DVL. Ego sanè iam totus inhio videre exitum. EROS. Vellem videres os, vultũq; meum, hæc cum loquebar: tum asseuerationem, gestumq; corporis, quo mihi fidem facerem. DVL. Has tuas artes noui optimè. EROS. Addidi, edictam capitis pœnam receptatoribus Senensium, qui non continuò rem ad magistratum detulissent. DVL. Hoc addendum erat fabulæ. EROS. Scito hunc hominem nõ esse ex his, qui vulgo solertes haberi solent. Hæc enim, vbi accepit, equum circunduxerat descensurus illico. DVL. Satis

apparet, cui hæc tua historia tam esset credibilis. Sed qui poterat ille ignorare res suæ ciuitatis? EROS. Mirum id nō erat, præsertim si mēsem abfuisset, cum hæc ego intra sex dies cōtigisse dicerem. DVL. Esto sanè, sed ego illum minime malitiosum puto. EROS. Et talem ego tibi prædico: atque id mihi gratulabar, huiusmodi hominem vltro nobis oblatum in manus. Sed ad rem redeo. Vbi ita hominem perterrefeci, vt prorsus ille iam meditaretur fugā, ibi ego cogitabundus cum stetissem paululum: noli, inquam, quæso dubitare te nostræ fidei committere. Inueni quo modo quoq; minimo periculo cōsulam saluti tuæ: certū est hanc operam impendere tuæ patriæ, vt tute possis manere Ferrariæ. Volo tu tātisper simules patrem meū te esse, et apud nos diuerseris: quæ res, vt tibi bellè procedat, Siculus ego sum Cataneus Philogoni filius, nobilis inter nos viri: sicq; apud omnes præ te feres rogantibus, Philogonum Cataneum esse respōdeto, me Erostratum filium tuū, nec metus est, ne ego meā personā agam, aptè

tractaberis apud me vt pater. DVL. O Iupiter, quam ego hactenus stupens hæc audiebam: nunc demum intelligo quorsum eat commētum tuum. EROS. Quale videtur? DVL. Non, Herclè, ineptū. Sed vnus restat scrupulus. EROS. Quis nam? DVL. Fieri id nō potest, quin ille tandem imposturā deprehēdat sermonibus hominū. ERO. Fieri sanè poterat, si mihi esset in suscepto negotio obdormiendū. An tu cogitas, nō me præcauisse hęc omnia? Ego illū ita excipiā mirificè, sic tractabo humanè et indulgēter, vt vbi illi rem omnē aperuerim, nō grauetur tamē suū nobis cōmodare mēdaciū: perquā esset ille inhuman⁹, si gratificari nobis pigeret, in hac re nullo suo incōmodo. DV. Sed cedo, quid ille tandem facturus, vbi ad rem peruentū erit? ERO. Nimirū idē quod Philogonus pater, si adesset, et has probaret nuptias. Et mihi quidē haud dubiū cōfecturū illū omnes syngraphas Philogoni nomine, arbitratu meo. Quid enī periculi timeat, si alienū nomē oppigneret, aut inscribat tabulis? DV. Faxit superi, sic res eueniat. ER. At

qui per nos non ſteterit, quominus tentaue rimus omnia, omnéq; mouerimus lapidẽ. DVL. Sed iſte hoſpes vbinã nũc eſt? ERO. Deduxi primum illum ad hoc proximum diuerſorium, nam domi noſti iumentis nõ eſſe ſtabulũ. DVL. Atqui oportet deductũ continuò domum. EROS. Volui te prius impertire hoc cõſilio meo: ne ſi poſtea non probares. DVL. Optimè, nũc age, propera: deducito illum ad nos, nec ſumptui parce, quominus excipiatur ille magnificè. ERO. Quid autẽ hoc? Venientẽ illũ video. DVL. Hiccine eſt? Operiri eum volo, vt videam, num etiã vultu repræſentet ingenium.

ACTVS SECVNDI, SCÆNA ſecunda.

SENENSIS. SERVVS. EROSTRATVS. DVLIPPVS.

SENENSIS.

VErum illud eſt, quod vulgo dici audio, peregrinationem innumeris refertam

eſſe

esse periculis. SER. Haud dubiũ id quidem est, ô here: nam nobis hodie minimo minus abfuit, quin submersa cymbula, natandum esset, vel pereundũ potius, cum natare vix sciret quisquã. SEN. Aliud est, quod volo. SER. Fortassis de equo dicis: qui parũm abfuit, quin in voraginem bis, aut ter impegerit: ita sunt lutuosa itinera. SEN. Apage belua: de hoc isthoc periculo loquor, quod prope nos oppressit. SER. Magnũ, Herclè, periculum: quòd inueneris; qui te è publico diuersorio in hoc diuersorium suum vltro euocarit, honorificè excipiẽdum. SEN. Atq; huius rei cui habẽda est gratiã, nisi illi tã humano hospiti, qui nobis fuit obuius? Sed agite, mittite omnes loqui, diligẽter caueте, ne quisquã prodat nos Senenses esse: neq; me quĩsquã aliter vocet, quàm Philogonum à Cataneã. SER. Peregrini istius nominis sat scio nunquã meminero. Castaneã certè obliuisci nõ possum. SEN. Quid castaneam? Cataneam, malũ, infelicissime. SER. Mitte: nunquã Herclè sciam. SEN. Ac propterea tace, nec nominaueris Senã,

nec Cataneam, nec quicquam aliud. SER. Immo vis here mutum me simulem, quemadmodum aliâs feci? SEN. Iam hoc non ferendum est: si continere te nō potes, saltem considerate loquere. Saluus sis fili. EROS. Vide sis, nostrates homines omnium sunt calidissimi: nutus omnes obseruant: omnes motus. Vide igitur, ne qua deprehendant, alium te esse, quàm Philogonum Cataneū patrem. SEN. Mitte, curabitur. ERO. Tuā rem egeris. Ad te, et hosce comites spectat, quibus ingens impendit malum; si qua in vulgus dimanarit fabula. SEN. Nunc illos admonebā. Dissimulabunt strenuè. ERO. Nec minus domi nostræ cauendum nobis est: nam domestici omnes indigenæ sunt, et ciues huius oppidi, neq; vnquam patrem meum, aut Siciliam nouerunt. En tibi domum, ingredere. SEN. Præibo. EROS. Sic oportet. DVL. Principiū placet: faxit Deus pares et progressus, et euentus respōdeant. At, quid nam hoc est? Riualem ego meum Cleandrum video. Ita ne fieri oportet? O auaritiam, ô sordes. Hunc sibi Damon ge-

nerum accifcat, qui pater eſſe poterat? Cui filiam tam egregiam et forma et ingenio in dotatam collocet? Pluris ille nimirùm ſuos loculos, quàm filiam facit: ne ab his vnum argentum depromat, ſemper inanes patietur filiæ loculos. Niſi fortè id cogitat, huius auro illam fœcundari poſſe, quemadmodum olim delapſo per impluuium Ioue, accidiſſe ferunt. Sed væ mihi miſero, qui ioca ri in tantis ſuſtineo miſerijs.

ACTVS SECVNDI, SCÆNA tertia.

CHARION, ſeruus. CLEANDER. DVLIPPVS.

CHARION.

QVid hùc aduẽtus ò here, tam intẽpeſtiuus? Vix in tota Ferraria fœnerator eſt, qui nõ ſe receperit iam domum. CLE. Prodieram hùc, euocaturus Paſiphilum, qui pranderet mecum. CHA. Quaſi verò deſit numerus domeſticorum ad abſumendos

dos sex perexiguos pisciculos, et obolum lupinorum, et viginti asparagos: præsertim si vnà cõputentur canes, et felles. CLE. Gurges, credis tibi defuturum apud nos cibum gulæ tuæ? DVL. Non iam paulisper ego ludam cariosum istũ senem? CHA. Sanè non eò dixeram: sed verẽdum est, ne non sit omnibus satis: nosti Pasiphili voracitatem, qui te deglutiet integrum, vnaq; si opus fuerit, et ossa et cutem iumẽti tui. CLE. Quid ita? Abstinebit ille à carnibus? CHA. Sanè cum nullas habeat. CLE. Negligẽtia tua, qui sic curas iumentum. DVL. Mitte me. Iam ego istum senem. CLE. Nõ tu iam Pasiphilum hũc mihi euocas? DVL. Si nihil aliud, ita illum in Pasiphilum irritabo, eas feram lites, vt nec Mercurius quidem, si velit, eas possit componere. CHA. Quid tu nõ poteras per famulum illum euocare, nisi hũc prodires ipse? CLE. Noui ego diligẽtiam vestrã, qui cessatis strenuè. CHA. Mitte verba, noui ego istas dissimulationes. Aliud est, quòd isthæc tua tam frequens deambulatio per hũc vicum petit: Næ ille si tecum prandere

vult, iam dudum te expectat domi. CLE. Mitte, hic nos docebit, domi ne sit. Heus tu, Pasiphilus cōuenit ne hodie herum tuū? DVL. Sanè, et nunc apud illum est, vt arbitror. Ha ha ha. CLE. Quid rides? DVL. Ne scio quid in mētem venit facetum et perridiculum me Herclè, quāquam nō ridendū omnino quidem. CLE. Quid nam id est, rogo te? DVL. Non licet promere. CLE. Aliquid fortafsis quod ad nos spectet? DVL. Hem. CLE. Non tu respōdes. DVL. Si promittis silentij fidem, dicam Herclè. CLE. Ne dubites: promitto: tu seccede paululum. DVL. Si herus rescifcat, væ mihi misero. CLE. Ad me recipio, solicitudinem mitte, fidem oppignero tibi meam. DVL. O pulchrū pignus: istud ego non arbitror magni fieri ab argētarijs. CLE. Atqui inter homines pretiosius esse oportet, omni auro et argento. DVL. Age tādem, vis dicam? CLE. Sanè, si ad me quicquā facit. DVL. Ad quē ergo aliū? Nempe ad te ipsum: neq; ego sanè æquo animo ferre possum illū veteratorem, qui te tādiu miserè ludat. CLE. Quid

est?

eſt? Quid eſt? DVL. Immo iureiurando te mihi obſtringes prius, neq; domino, neque Paſiphilo, neq; lapidi quidem dicturum te. CLE. Vt lubet: depromā tibi literas. CH. Hic nimirum internuntius eſt ab illa virgū cula, quam iſte perdite amat. Atq; hic ſtultus putat ſe aliquid pro opella ablaturū ab eo. Malè nouit tenacitatē hominis. Citius excuſſerit dentem ex gingiua, quàm ex cru mena obolum. CLE. Dexteram porrige, atq; has literas cape: perſanctè tibi deiero, nihil me aperturum cuiquam, niſi ex arbitratu tuo. DVL. Sat habeo. Enimuero Cleā der, doleo, quòd ille ſceleratus Paſiphilus ità te ludat, ac perſuadeat tibi, curare impē ſè res tuas, cùm apud Damonem partes agat ſcholaſtici cuiuſdam peregrini, qui vocatur, vt arbitror, Roſoraſtrus, aut Aroſtrus: non ſatis teneo: habet nomen quoddā durum, et difficile. CLE. Vocatur Eroſtratus. DVL. Iſthuc ipſum: nūquam ego quiuiſſem pronuntiare: mirum eſt, quàm te laceret omnibus maledictis ille nefarius. CLE. Apud quem? DVL. Apud Damonē

et Polymnestam. CLE. O scelus, ô proditorem. Quid tãdem ait? DVL. Quicquid mali excogitari potest. CLE. Proh Deûm atq; hominum fidem. DVL. Asserit te vnum esse omnium quotquot nati sunt, et auarissimum, et miserrimum, ac ne sumptum facias, passurum te illam interire fame. CLE. Ita ne tandem ait? DVL. Sed hæc non admodum curat pater, qui satis nouit ex cultu tuo te nisi auarissimum esse non posse. CLE. Quid sibi velit isthæc auaritia, non satis intelligo. Illud vnum scio, ad ea nos deuenisse tempora, vt qui nihil habeat, habeatur pro asino. DVL. Addidit præterea, te morosum esse, intractabilem, cerebrosum, qui illam triduo ad suspendium adigeres. CLE. O hominem sceleratũ. DVL. Nihil te aliud tótos dies ac noctes quàm tusire, et excreare. CLE. Ego ne? Vix vnquam mihi contingit va va va. Tametsi nunc nonnihil infestor pituita. DVL. Et quod est adhuc intolerabilius, olere hircum, et tetram exhalare animam, quod est longè fœdissimum. CLE. O audaciã: non feret impune. DVL.

Habere

habere te testiculos herniosos grãdiores tuo capite. CLE. Næ ille, si viuo, haud inultum feret: nihil potest esse impudentius hoc mẽdacio: ac nisi in publico essemus, tuis oculis atq; intuitu iam illũ arguerem. DVL. Alia præterea, quæ nunc referre nõ vacat. CLE. Quid ad hæc Damon? Fidem ne adhibet? DVL. Quid ni? Tanquam oraculo. Et iam pridem te missum fecisset; nisi à Pasiphilo solicitaretur: vt te, quoad posset produceret, dum extorqueret à te aliquid. CLE. O perfidiã. Decreueram has illi dare caligas: sed nũc crucẽ dabo ac restim. DVL. Vis ne aliud? Expectat me iam dudũ herus, et propero. CLE. Nihil prorsus. DVL. Vide sis, præstes quæ iuratus promisisti: nemini dixeris, nisi me perditum velis. CLE. Fiet, ne dubites. Sed dic mihi, quî vocare? DV. Vocor Syluanus. CLE. Es huius oppidi? DV. Minimè. Sed iam morari nõ possum. Vale. CLE. Egregium ego mihi solicitatorem cõparaueram, et curatorem rerum mearum. CHA. Eamus iam hinc ad prandium. Expectãdus tibi est in noctem vsq; Pasiphilus?

 CLE.

CLE. Ne me obtundas: Dij faxint, vt ego vos ambos in patibulo suspensos videam. CHA. Oportet nihil illi læti nũtiatum fuisse. CLE. Dij faxint, vt nunquam istam famem et ingluuiem expleas heluo. CHA. Hoc satis ego futurum scio, quandiu fuero domi tuæ. CLE. Eamus, quod tibi male vertat, furcifer. CHA. Idem tibi, vt eueniat, opto, et auaris omnibus.

Actus tertij, Scæna prima.

DALIVS, coquus. CRAPINVS, puer. EROSTRATVS. DVLIPPVS.

DALIVS.

CVm domũ peruenerimus, omnia iam oua fregeris quotquot sunt in ista fiscella. Quem ego alloquor? Quo ille se proripuit? Non dubium est, quin se ille iam ad nuces contulerit cum reliquis pueris, aut in foro ludibrijs rusticorum turbam frustretur.

Eſt omnium laſciuiſsimus, quos videre cõtigit. Tandem venturus es improbiſsime? Oportet me paſsim te expectantem morari? Atqui ſi vel vnum ouum caſſum offendero, næ tibi iam perfregero caput. CRA. Scilicet, quaſi non liceret mihi deſidere vbi velim. DAL. Nõ taces? Niſi oneratus eſſem & grauis, iam tibi oſtenderem. CRA. Raro te licet videre non grauem illo Deo, quem tu religioſiſsimè colis. DAL. Superi veſtrã fidem, diſrumpor. CRA. Furcifer, animus tibi impius eſt, tametſi lingua conuitijs par eat. DAL. Nihil herum celabo, ac ſi ille impunè patitur, ego iam migrabo ex eius familia. CRA. Ea nimirum eſt mihi ſumma iniuria. EROS. Quid hoc eſt nebulones? Semper rixamini? CRA. Hic me male accepit, quod illum admoneo officij. DAL. Ille mẽtitur egregiè: immo quòd increpabam illi moram, nunc me apud te incuſat. EROS. Miſſa hæc facite: quin potius vbi ego eo, parate vos quibus eſt opus: vbi ego redibo, quid coctum, quid aſſum velim, dicam vobis. Tu Crapine me ſequere.

Quàm

Quàm vellem nunc Pasiphilum inuentum.
Sed vbi quæram? At herum meum hùc
venientem video, fortasse ille docebit me.
DVL. Quid de vestro Philogono factum?
EROS. Domi manet. DVL. Nunc autem
quò? EROS. Quæsiturus Pasiphilum, pro-
inde dicito sicubi videris. DVL. Vidi sa-
nè: pastus est apud herum meum: postea
non vidi. Sed quid nunc illum vis? EROS.
Vt renuntiet Damoni aduentum huius
mei patris, nec vllam esse moram, quin
iam illi offerat quæcunque iurisperitus pol
licetur. Experiendum sanè nobis est, an
contra illius artes nos comminisci aliquid
valeamus. DVLIP. Abi ergo amabo, quæ-
so te Pasiphilum vbi vbi est, inuentum
curato: videamus quis sit futurus exi-
tus huius fabulæ: si quo modo res no-
bis cedat ex sententia. EROSTRA. Scis
vbi illum inueniam? DVLIP. Maximè.
Vbicunque instruuntur conuiuia: in ma-
cello, in popinis, in ganeis, in œnopo-
lijs. EROSTRA. Ah, quid ibi rerum ge-
rit? DVLIP. Spectat, si quisquam acce-

dat empturus aut ſumen ſuillum, aut ingẽtem piſcem, vt mox de repente ingreſſus, ſalutato hoſpite, etiam non vocatus accumbat. EROS. Bene admones: ibi quæram. DVL. Fac vt mox reuertare: habeo quod rideas. EROS. Quid nam? DVL. Accepi mirificè ipſum Cleãdrum. EROS. Dic tandẽ, quæſo te. DVL. Nolo interpellare iter tuũ: abi nunc, poſtea licebit. Perinde mihi hoc certamen cum Cleandro videtur, ac ſi quis ludat teſſeris: nunc ad hos, nunc ad illos dubia inclinat victoria. Sed quãdiu vel exigua ſupereſt pecunia, ſpes eſt: ſed ſi vel dãnoſa canicula, vel ſenio corraſerit omnia, ibi deſperatis iam rebus languent animi: alter rerum potitur, alter expoliatus fortunam incuſat. Sic nos colluctamur cũ noſtro aduerſario, interim victores, interim victi. Quoties nos fortuna extulit? Quoties depreſsit? Sed vnus tandem exitus ſolo æquabit omnia. Ita in dubio ſum, vt ne ſperem planè, nec deſperem omnino. Atq; hoc quidẽ cõmentum ſeruuli mei in præſentia vtcunq; placet. Sed neſcio quid ad hæc totus inhorreſco,

resco, et velut ante oculos impendere video ingens quoddam malum, quod nostra prorsus disturbet consilia. Sed herum domo exeuntem prospicio.

ACTVS TERTII, SCÆNA secunda.

DAMON. DVLIPPVS. NEBBIA.

DAMON.

DVlippe. DVL. Quid est here? DA. Intrò iam abi, atq; huc mihi euocato vtrũque Nebbiam: et rufum, et fuscũ: volo illos amandare quoppiam. Tu descende in cubiculum inferius, et inter scrinia mea inquire syngrapham stipulatoriam, eius fundi, quẽ vendidit Chremes auo meo iam olim. DV. Eo. DAM. Abi longè: tamen aliud quã syngrapham inueniet. O summam infœlicitatem. Cur quisquam alij plusquam sibi ipsi fidit? O iniustam, et iniuriosam fortunã, vnde in domum appulisti labem istam, et perniciem familiæ meæ? Adeste huc vos iam

mihi, cōfectum detis oportet, quod iussero: abite in cubiculum inferius, vbi inuenietis Dulippum. Eum quàm minimo tumultu comprehensum manibus pedibusq;, ligate resti, quam ad id reliqui in mensa: sic ligatum in specum detrudite, qui sub scalis est. Hoc autem et celeriter, et sine vllo motu factum oportet. Tu Nebbia confestim hùc redito: clauem accipito, atq; eam mihi refer continuò. Væ misero mihi, qua nam ratione tantam vsciscar iniuriam? Nam si in istum proditorem pro indignitate admissi facinoris animaduertere voluero, non dubium est; quin legibus pœnas sim daturus, quæ nullum ciuem indicta causa priuatim puniri patiantur. Quod si rem ad magistratus detulero, me ipsum traduxero, de quo iam tota ciuitate spargetur fabula. Sed quid ego moror? Quamuis istum sceleratū innumeris disperdam supplicijs, nunquam tamen resarciam honorem filiæ meæ: neq; contractam semel labem vlla ratione diluam. Væ mihi: à quo ego pœnas expetam, nisi à me ipso, qui filiam meam illi dederim

rim veneficæ. Si cupiebam illi bene consultum, oportuit me illam in cubiculo, atque adeò in cubili continere meo: omnes adolescèntulos procul à familia ablegare: neq; vnquam significare, quàm illi bene vellem. Nunc demum intelligo, quantum ex probatissimę vxoris morte vulnus acceperim. Iam tribus ante annis potuissem illam viro collocare, neq; vnquam ad id animum induxi, si non magnificè, ac certè honorificè, et nullo famæ detrimento fecissem. At ego diem de die ducebam, dum illi conditionem quærerem splendidissimam. En quo redacta res est. Væ misero mihi, atque infœlici. Hunc ego dolorem acerbissimum esse sentio, cum quo neq; filiorum orbitatem, neque vxoris iacturam conferendam putem. Hic vnus hominem conficere potest, et me certè conficiet. O Polymnesta, id ne est impetratum à te amore et indulgentiā meą? NEB. Here, confectum est, quod imperasti. En tibi clauem. DAM. Bene habet: nunc ibis ad Nomicum Perusinum, et ab illo petes nomine meo com-

pedes,quas habet: mox redito. NEB. Eo.
DA. Si te rogarit in quem vſum velim, dic
te neſcire. Caue autē cuiquā dixeris, Dulip
pū vinctū eſſe. NEB. Nuſquam gētium.

ACTVS TERTII, SCÆNA tertia.

NEBBIA, ſeruus. PASIPHILVS.
PISSYTERIA, ancilla.

NEBBIA.

Fieri nō poteſt, vt quiſquam tractet pecu niam, nec tractanti accreſcat quicquam. Mirabar equidem vnde Dulippus tam lautus, tam cultus incederet: vnde illi ſuppeditaretur ſumptus, cum tam exiguū alioqui haberet ab hero peculium. Nūc demum intelligo. Illi vni commiſſa erant omnia, illi horrea: illi cellæ vinariæ: ille à procuratoribus, à villicis exigebat rationem: deniq; penes illum ſumma erat. Dulippus accerſebatur, Dulippus cōſulebatur, vnus in gratiā apud herum, apud filios: nos omnes ſperne

bamur. At nũc vide quid illi acciderit. Quã to fuiſſet ſatius nunquam eò proceſsiſſe audaciæ. PAS. Rectè ſanè inquis, lõgè fuiſſet ſatius. NEB. Vnde, malum, prodis? PAS. E veſtra domo per poſticum. NEB. Atqui ego te iam dudũ putabam deceſsiſſe. PAS. Vbi pranſus ſum, ſeceſſum petij, verũ eius rei gratia, quam tu te intelligis. Tenes? Ibi me ingens ſomnus oppreſsit, itaque me in angulum contruſi dormiturus. Sed nunc quo? NEB. Amandauit me quoppiam herus. PAS. Non tu potes dicere? NEB. Non. PAS. Tu te omniũ conſcium putas? Quaſi ego neſciam. O Iupiter, quid ego intellexi? Quid vidi? O Cleander, ô Eroſtrate, quam egregiam ambitis vxorem. Virginem nimirum et pudicã. Quàm belle vobis iam res cedet, et vxorem, et virginẽ habebitis. Tametſi enim Polymneſta virgo nõ ſit, geſtabit ſecum, vt arbitror, iam ad vos in vtero virginem. O Dij immortales, quis hoc vnquam crediidiſſet? Roga totam viciniam, cõſule famam, nihil aliud audies, quàm illam optimam eſſe, et modeſtiſsimam virginẽ.

Totum diem cum religiosis fœminis agit: semper intenta precationibus: nunquam in fenestra conspicitur: neq; leuissimus erat de ea rumusculus. Habeat sane illam per me, quicunq; expetit. Egregiam ad se dotem, et suppellectilem feret: duo nimirum ingētia cornua haud dubie marito deesse non poterunt. Per me sane nunquam hæ disturbabūtur nuptiæ. Sed ego veneficam illam vetulam video, quæ has omnes turbas Damoni concitauit. Quo nunc Pissyteria? PIS. Ad vicinam. PAS. Nimirum compotricem, vt apud eam garrias de vestræ virginis amoribus. PIS. Vnde tu, malum, compertum id habes? PAS. A te nimirum. PIS. Qui potes à me, aut quo modo? PAS. Cum à te Damon exquireret, ego ex insidijs et audiebam, et videbam te. Egregiè verò à te factum, quòd virginem illam accusaueris, quòd Damonem ad necem et suspendium adegeris, quòd miserum adolescētem vnà cum nutrice perdideris, præter innumeras alias calamitates, quas toti familiæ inuexisti. PIS. Temere factum est, fateor, sed non

tan-

tantopere sum incusanda, quàm tu putas. PAS. Quis igitur? PIS. Dicam. Iam ego pridem subolfeceram, omnes noctes Dulippū cum Polynnesta degere, idq́; nutricis opera: ego tamen continebam optima fide. Hodie autem valde mane cœpit nutrix iurgare mecum, me ebriam, me veneficam appellans. Ego contra, tace, inquam, perductrix, tace internuntia, ne me irrites. Nescis comperta esse mihi omnia, quæ tu Dulippi gratia feceris singulis noctibus? Hæc ego satis negligenter proclamabam, minimè verita ne exaudirer ab hero: at ille (sic visum est malo meo genio) in cubiculo aderat audiēs, et intelligens omnia. Cōtinuò me vocat ad se: neq; effugere potui, quominus aperirem omnia. PAS. Et quàm bene omnia. PIS. Vę mihi. Si ego tam egrè laturum putarem, citius interijssem. PAS. An verò non ęgrè ferret? PIS. Miseret me illius virginis, quæ flens, et plāgens se miserabilem in modum discruciat: non tam quòd patrem timet (qui ipse vnà collachrymatur mira indulgentia in filiam,) quàm quod nutricem

com-

commiſeratur, multoq; magis Dulippum; quos quidem videt periclitari maximè. Sed ego morari iam non poſſum. PAS. Abi in malam rem. Egregiè illis conſuluiſti.

Actus quarti, Scæna prima.

EROSTRATVS. CRAPINVS. PISSYTERIA.

EROSTRATVS.

QVid faciam? Quid cõſilij capiam? Quę quæram prætextum ad obtegendum iſtud mendacium, quod tam fœliciter toto iam biennio hucuſq; ſimulaui? Nũc demũ patebit Eroſtratus ne ego, an Dulippus ſim, cũ tam præter opinionem herus meus Phylogonus venerit ille verus, ille inquã, quem fallere nõ licet. Nam cum hodie ciui tate exijſſem in portum, vt Dulippum quę rerem, ibi ſcapham in portu adremigãtem video: et in ea Lycum, conſeruum meum,

vnaq; herum Philogonum. Tūc ego me ſu bitò inde ſubripui quam citato potui curſu admoniturus verum Eroſtratum, ſi quod repentinum conſilium repentino malo inueniatur. Huc ades puer, actutum abi, atq; illam vetulam, quam à Damone exeuntem vides, rogato domi ne ſit Dulippus: euocari illum à quodam noto, qui alloqui cupiat: caue autē me nomines. CRA. Heus, heus vetula, ſilicernium, larua buſtuaria. PIS. Faxint ſuperi, ne ad hanc ætatem peruenias, ne huiuſmodi conuicia audire tibi contingat. CRA. Vide, quæſo te, domi ne ſit Dulippus. PIS. Et quidem plus quàm vellet. Optaret ille non eſſe. CRA. Dic amabò, opus eſſe, vt hūc prodeat. PIS. Non vacat: habet aliud, quod agat. CRA. Abi quęſo te pulcherrima virgūcula. PIS. Veterator, nō dico illum eſſe occupatum? CRA. Tam eſt tibi graue vnum illi verbū dicere? PIS. Gratuiſsimum. Quid verbis eſt opus? Abi improbiſsime. CRA. O lamiam ſceleratam. PIS. Dij te perdant ſordidule, quē ego ſub furcam me viſuram ſpero. CRA. Et ego te

vene-

veneficam rogo. PIS. Si accedis, iam à me præmiũ feres hac fuste. CRA. Et si tu pergis, hoc lapide. PIS. Sinistro ego hodie exiui pede. Quis iste malus genius est? ERO. Quid isthuc est furcifer? Quid collitigas? Sed herum meum Philogonum veniẽtem video: nolo me hoc videat cultu, aut priusquam Erostratum conuenero.

ACTVS QVARTI, SCÆNA secunda.

PHILOGONVS. HOSPES. LYCVS, seruus.

PHILOGONVS.

ITa res est, vt prædicas, ô hospes, nihil amori paterno cõparari potest. Quis ante triennium mihi persuasisset, vllum tãti momenti negotium fore, cuius ego gratia tam longè peregrinarer à patria. Nunc autẽ vt filium viſſam, mecumq; reducam domũ, hoc tantum laboris suscepi. HOS. Videris dura multa perpeſſus sanè non pro ætate

tua. PHI. Vnà nauigabam cum alijs conterraneis, qui religionis gratia templum Laurentanum inuissebant: quousque Anconam peruenimus, inde cymba transuecti Rauenam, quo et alij peregrini vehebantur. Ab eo loco, cum aduersa aqua nauigaremus, molestior fuit, iactatiorq; tãta nauigatione. HOS. Quàm contigere tibi incõmoda diuersoria? PHI. Incommodissima: sed ferenda, si conferantur cum molestijs publicanorum, et eorum, qui portoria exigebant. Quoties aperuere thecas, excussere saccos? Omnia perscrutati, si quid mercemoniarum esset, vnde aliquid exigerent. Alij manicas, ipsosq; sinus euoluebant, vt sæpe timuerim de cute, ne illi tanquam aquam intercutem ibi putantes latere pecuniam, excoriarent me. HOS. Audio illos nefaria omnia admittere. PHI. Haud dubium id quidem est. Nam quibus talia munia demandantur, necesse est, sceleratissimos esse. HOS. Atqui hic tuus labor maxima hodie voluptate pensabitur, cum filium videbis, atque alloqueris. Sed cur non potius

tius(adolescens cum sit)illum hinc accersi-sti,quã tu senex huc venisti? Fortasſis plus fecisti illius studium,quàm quietem,et incolumitatem tuam? PHI. Non ita est: nam maluissem illũ domi manere. HOS. Quid igitur si nolebas illum longius progredi in literis,quid hùc amandasti? PHI. Quandiu domi erat(vt sunt adolescentulorum ingenia)licentiam habebat ad ea vitia, quæ fert adolescentia, solutiorem quàm volebam. Quæ res innumeris me conficiebat molestijs:hoc itaq; solùm putaui remediũ,si huc ablegarem studiorũ gratia:haud dubiè pluris faciens illius profectum, quàm absentiam. Admonui,se in hanc academiam reciperet. Vix ille domo erat egressus,cum pœnitentia cœpit me facti,vt vix post illius discessum potuerim conquiescere: millies ad eum scripsi per literas euocans,neq; vnquã potui persuadere,quin ille me obsecrat, ne se studijs auocem, promittens mihi prope diem profectum admirabilem. HOS. Equidem ab omnibus scholasticis nõ leuis fidei comperi permultum illũ profecisse. PHI.

Gau-

Gaudeo, quod non fruſtra inſumpſerit operam. Verũ vt vt eſt, ſi ad me adfuturus eſt, nihil refert, qua ſit doctrina: confectus ſum ſenio, mors eſt in foribus, nollem illo abſente mori, quod eſſet ipſa mihi morte triſtius. Quam ob rem neutiquam mihi ſine illo redeundum eſt domum. HOS. Humanũ eſt amare filios: ſed tam tenerè maternum magis eſt, quàm patrium. PHI. Sic ingenium eſt meum. Tamẽ et illud me ſolicitat, cum quoſdam ex noſtratibus rogaſſem, qui hàc iter fecerant, ecquid de filio comperiſſent, illi omnia læta nuntiarunt, egregiumq́; hic habere nomen apud Ferrarienſes et docti, et ſtudioſi adoleſcentis: ſæpe illius domum ventitaſſe, vt ſalutarent noſtro nomine, ſi quid mandaret ad nos, neq; offendiſſe ſe vnquam domi. Subijt cogitatio illum tam eſſe intẽto in ſtudia animo, vt nullum remittat tempus ſibi, neq; quicquã aliud agat dies, noctesq́;: non pati ſe adiri aut à notis, aut à cõterraneis, ne quid ſtudijs ſubtrahat. Atq; adeò exiſtimo, totas illum elucubrare noctes immemorem ſomni, cibiq́;. Ille autem

delicatius educatus est,quàm vt hæc possit ferre.Fieri potest,vt aut emoriatur, aut in insaniam incidat,vel quid morbi cõtrahat. HOS.Sanè,vel in virtute illud verum est, ne quid nimis.Sed En tibi Erostrati filij tui domum.Mitte,ego fores pulsabo.PHI.Pulsa.HOS.Nemo respõdet.PHI.Percute rursum.HOS.Dormiũt illi fortassis. LYC. Si hæc ianua tibi esset mater,nõ sic illi parceres:mitte me.Heus heus,nemo hùc prodit?

ACTVS QVARTI, SCÆNA tertia.

DALIVS, coquus. PHILOGONVS. LYCVS. FERRARIENSIS. HOSPES.

DALIVS.

QVæ est isthæc insania?Perfringẽdæ ne sunt vobis fores?LYC. Arbitror omnes intus dormiebatis.PHI.Quid agit Erostratus?DA.Nõ est domi.PHI.Aperi, quo ingrediamur.DAL.Næ tu si id cogitas, parum rectè cogitas:occupata est iam domus

alijs

alijs hospitibus, neque est iam pluribus locus. PHI. Næ tu homo est dignus, quem herus tuus magnifaciat. Sed qui nam sunt intus? DAL. Philogonus pater heri mei Erostrati, qui modo venit ex Sicilia. PHI. Immo verò vbi tu aperueris, est intus, si tibi videbitur. DAL. Mihi certè aperire molestum non est: sed vos diuersari apud nos nõ potestis: occupata sunt omnia. PHI. Quis nam est intus? DAL. Nondum intellextis? Dico patrem heri mei Erostrati Philogonum Cataneum. PHI. Quãdo ille antehac accessit vnquam? DAL. Quatuor iam sunt horæ, ex quo illum deduxit ex diuersorio filius, atque ibi iumenta relicta sunt. PHI. Arbitror ludis. DAL. Immo vos multum molesti interpellatores estis. PHILO. Hic haud dubiè ebrius est. LYC. Sanè indicat facies, vt est rubicundus. PHILO. Quis est iste Philogonus, quem tu dicis? DAL. Quidam pater heri mei. PHILO. Vbi est? DAL. Intus. PHI. Possum alloqui? DAL. Quid ni, si mutus non es? PHI. Dic illi, orare me, ne grauetur prodire hùc. DAL. Eo.

PHI. Neſcio quid dicã, aut quid cogitem. LYC. Quid? Orbis terrarum, ô here, ampliſsimus eſt. Tu credis vnam dũtaxat eſſe Cataneam, vnicam Siciliam, nec poſſe aliũ eſſe Philogonum, alium Eroſtratum, aliam Ferrariam? Fortaſsis non eſt hæc illa Ferraria, quam nos quærimus, vbi eſt filius tuus. PHI. Neſcio quid credam, niſi te ſtipitem eſſe, et illum alterũ ebrium. Tu hoſpes, vide ſis, ne aberraueris à domo. FER. Aberrẽ ne ego à domo Eroſtrati Catanei, quẽ ego heri vidi? Sed hic, qui prodit, cordatior videtur: ille rem expediet.

ACTVS QVARTI, SCÆNA quarta.

SENENSIS. PHILOGONVS. DALIVS.

SENENSIS.

QVis eſt? Num tu me euocari iuſsiſti? PHI. Sanè, percuperem ſcire, vnde nã ſis, ô hoſpes. SEN. Ego? Siculus. PHI. Ex

qua

qua ciuitate? SEN. Ex Catanea. PHI. Qui vocare? SEN. Philogonus. PHI. Qua conditione? SEN. Mercator. PHI. Quas hùc merces cōportāsti? SEN. Nullas prorsus: veni, vt filium viserem, qui hîc dat literis operā: quem iam triennio ferè nō videram. PHI. Quod est nomen filio? SEN. Erostratus. PHI. Erostratus tibi filius? SEN. Verum. PHI. Tu ne es Philogonus mercator Cataneus? SEN. Mitte iam percōtari: neq; enim deberem mētiri. PHI. Immo verò mētiris egregiè: neq; tu alius es quàm impostor, et sycophanta. SEN. Nō æquum facis, qui homini ignoto sic maledicas, qui te offendit nunquā. PHI. Tu ne vir bonus sis, qui eum esse dicis, qui non sis? SEN. Non alius sum, quam quē dico tibi. Neq; erat, quod alium dicerem. PHI. Impudens, tu es Philogonus Cataneus? SEN. Vis dicam iterū? Ego sum Philogonus Cataneus. Quid miraris? PHI. Tantam cuiquam esse audaciam? Tantam impudētiam? Neq; tu, neq; quisquam alius id poterit efficere, vt qui non es, sis: mendacissime, tu ne is es? DAL. Ita ne patiar diu-

tius,vt hic̃ me inſpectante, tam impudēter herili patri cõuicietur? Niſi iam hinc in malam rem abis,hoc te veru tranſfigam. Væ tibi,ſi adfuiſſet Eroſtratus. Quin potius abi intus,ô here,et iſtum canem patere hîc latrare in via,quouſque diſrumpatur.

ACTVS QVARTI, SCÆNA quinta.

PHILOGONVS. LYCVS. FERRARIENSIS. EROSTRATVS.

PHILOGONVS.

QVid tibi videtur Lyce? LYC. Semper ego hoc nomeǹ Ferraria ſuſpectũ habui: nunc experior re,ipſam longè inauſpicatiorem. FER. Non eſt,quòd noſtram patriam incuſetis: nam hactenus quibus cum res eſt,veſtrates ſunt. LYC. Omnes in culpa eſtis,multoq́; magis veſtri magiſtratus, qui hæc patiuntur in vrbe latrocinia. FER. Quid illi ſciunt? An verò tu credis illos hęc curare? LYC. Satis ego ſcio, nihil illos nec

ſcire;

ſcire, nec curare harũ rerum, preſertim vbi nihil ſperant lucri. Oportebat illos clauſis oculis, aures habere patẽtiſsimas. PHI. Tace tu bellua, res tuas curato: nos ne defatigemur querẽdo, quouſq; Eroſtratum inueniamus. FER. Ego vos comitabor: et primum quidem in academiam, deinde ibimus in forum. PHI. Mallem quieſcere, quàm deambulare, ita ſum ex itinere defatigatus. Oppériar hìc paululũ, non poteſt morari. LYC. Vereor ne et ille in alterum ſit cõmutatus Eroſtratũ, quemadmodũ et tu in alterũ Philogonũ. FER. Eccum veniẽtem video. Sed quid nã ille regreditur? Mane, illũ vocabo. Eroſtrate, Eroſtrate, nõ audis? Quid ceſſas? EROS. Iam effugere non poſſum, obdurãda eſt frons. FER. O Eroſtrate, pater tuus modò ex Sicilia venit viſurus te. EROS. Nihil ſanè noui narras. Iam dudum ego illum ſalutaui. FER. Atqui, vt ille dixit, videbatur nõdum cõueniſſe te. EROS. Vbi tu illũ es allocutus? FER. Videris non noſſe patrẽ? Non tu vides hùc venientem? En tibi Philogone Eroſtratum gnatum tuum. PHI.

Hic ne est Erostratus? Ego non noui filium meũ? EROS. Quis homo hic est? PHI. Hic videtur Dulippus seruus meus. LY. Quasi verò nosse difficile sit. PHI. Quid sibi vult hic cultus talaris Dulippe? Nũquid et tu de disti literis operam? EROS. Quem hic bonus vir alloquitur? PHI. Videris me nõ nosse? Quẽ ego alium alloquar, nisi te? EROS. Me nę dicis, ô hospes? PHI. O Iupiter, vbi ego sum? Hic veterator fingit, non nouisse me. Es ne tu Dulippus, an ego prorsus deliro? EROS. Sanè deliras, mihi istud nominis nõ est. LYC. Nonne ego rectè dixeram ô here, esse nos Ferrariæ? En tibi serui tui Dulippi fidẽ, qui te abneget. Iam planè induit ingenium loci. PHI. Nõ ego dico tibi, vt taceas bellua? EROS. Roga omnes quot quot sunt in tota Ferraria, vix enim est quisquam honesto loco, qui me non norit. Sed quid opus est? Tu qui istũ hospitem ad me adduxisti, dic quęso illi, quis ego sim. FER. Ego te semper Erostratum et esse credidi, et dici audiui, postquam ex Sicilia hùc venisti. PHI. Prorsus me hæc res iam hodie ad

insa-

insaniam rediget. EROS. Immo verò ego te iam insanire arbitror. LYC. Non ego dico, here, nos hîc agere inter impostores? Quem nos putabamus ducem, et admonitorem nostrum, hic cum illo colludit. Dicit esse Erostratum, quem ego noui Dulippũ conseruum meum. FER. Nõ est, quòd me incuses, ô adolescens: nominari aliter nunquam audiui, nisi Erostratum Cataneum. EROS. Quid tu me aliter vocari vis, si hoc mihi nomen est? Verũ næ ego insanus sum, qui cum hoc sene deliro contendam. PHI. Ah, perfide, fugitiue, proditor: sic herum excipis? Sic salutas? Quid actum est de Erostrato gnato meo? DAL. Adhuc oblatrat iste canis? Quid tu pateris illius conuitia, ô here? ERO. Reddi domũ bellua. Quid tibi volebas cũ isto pistillo? DAL. Contundere huic rabido seni caput. ERO. Tu autẽ mitte lapides: redito domũ: tribuatur hoc ętati, tamẽ si quiduis mereatur illius maledicẽtia.

Actus quinti, Scæna prima.



PHILOGONVS. FERRARIENSIS.
LYCVS, seruus.

PHILOGONVS.

QVid agam? Quē obsecrem? Cuius opē implorem? quãdo hic, quem pro filio educaui à puero, sic nefariè insultat, et fingit nõ nosse me? Tu autem, quem nobis fortuna obtulit, iam cum illo ex composito cõsentis. Saltem consideratum oportuit; vel quòd hospes sum, vel quòd in tanta calamitate: vel si reliqua negligitis; Deum saltem, qui iustissimus est, et omnia intuetur, non oportuit neglectum. Ita ne leui de causa testari oportuit hunc esse Erostratum, quē neq; natura, neq; orbis vniuersus potest efficere, vt sit alius quàm Dulippus? LYC. Si tales sunt et reliqui testes huius ciuitatis, quid erit, quod probare non liceat. FER. Postquam iste venit in hanc ciuitatem, ô hospes, vndecunq; venerit; semper audiui, et vocari, et haberi Erostratum, filium Philogoni cuiusdam Catanei. Sit necne, vos videritis, qui antea nouisse illum dicitis. Qui

bona fide narrat, quod et accepit ab alijs, et credit, non est quòd tanquam falsarius debeat redargui. PHI. Væ mihi misero: hic, quem ego dederam filio comitem, curatorem, institutorem; is fortasse filium meum aut vēdidit, aut occidit, aut quouis alio modo perdidit: nec solùm pecunia, reliquaq; suppellectili expoliauit, sed et nomen vsurpauit fortasſis sibi, quo posset intercipere hoc prętextu chirographa mea, quęq; à me alimentorum gratia ex Sicilia mitterentur. Væ mihi misero. Væ senectuti meæ infœlicisſimæ. Nō est prætor, aut aliquis magistratus in hac ciuitate apud quem conquerar? FER. Sunt magistratus, Dijs gratia, sunt iudices, est prætor, est princeps æquisſimus: ne dubites, te ius tuū obtenturū, si quod habes. PHI. Duc me, duc me sodes ad illos: volo aperire facinus post hominū memoriā audacisſimū. LY. Qui vult lites sequi, ô here, ei quatuor vidētur necessaria. Primū, causa vt bona sit: deinde qui tractet bene, tū fauor et gratia, et qui ius velit dicere. FER. Quid fauor? Quid gratia? De his leges nō meminere.

nere. PHI. Tu auſcultas, quaſi hic ſanus ſit? LYC. Ego te iam edocebo. Primum, vt ſit, qui inſtet, ne perendinationibus tota lis abeat: et ſi exitum timeas, ne ſatis ex ſententia ſit, qui ita protrahat lites, vt aduerſarius deſperatis rebus, nullam cōditionem detrectet, aut omittat. Intellexti, quid velim? FER. Ego te ad hanc rem ſatis iam inſtruā: quamuis minimè opus eſt in hac ciuitate: ducam te ad iuriſperitum, qui te facilè expediat. PHI. Immo qui me impediat magis. Væ mihi, ad cauſidicos, et aduocatos nunc veniendū eſt, quorum inſatiabilem famem non expleam, vel exhauſto patrimonio etiā in patria. Satis ego noui ingenia hominū. Vbi primum illos conuenero, dicent nihil eſſe facilius, nihil expeditius meo iure: poſt, alios, atq; alios nodos excogitabūt, et ſcrupulos iniȷcient, me incuſantes, qui non plenè illos edocuerim. Et hoc quidem non vt numos tātum extorqueant, ſed ſanguinem ipſum exugant. FER. Quem tibi dico, non is eſt: dices ſenem ſanctum. LYC. Iſti ſenes ſancti, ſunt etiam ſemidiaboli. PHI. Ita res

est: parum ego his simulatoribus fido, qui incedũt demisso capite. FER. Finge hoc ita esse: certè odium quod habet in ipsum Erostratum efficiet, vt causam, et suscipiat, et tractet perinde ac suam. PHI. Quodnam istud odium est? aut vnde? FER. Amatoria quęstio est: ambiunt eandem virginem ciuem hinc, et nobilem: inde exortæ ingentes inimicitiæ, vt solet. PHI. Itaq; ille perfidus, tantum meo nomine et sumptu sibi fidei fecit, vt audeat tãtum aduersarium suscipere, et huiusmodi nuptias ambire? FER. Sic est. PHI. Quod est homini nomen? FER. Cleãder: habetur apud nos in pretio. PHI. Duc me ad illum. FER. Eamus.

ACTVS QVINTI, SCÆNA secunda.

EROSTRATVS, PASIPHILVS.

AN verò sortem meam infœlicissimam nõ putem, quæ me, ante quam Erostratum conuenirem, sic hero meo impremeditatum obuium tulit, vbi necesse fuit dissimu-

mulare agnoſcere me?Cõtendere etiam, et iurgari,nec ſatis eum tractare ciuiliter?Vtcunque exitus cedat,fieri non poteſt, quin illum grauiſsimè offenderim,ego culpa liberari nõ poſſum:quæ res illius ſemper animum,mihi faciet aduerſum et infenſum. Quam ob rem decretũ eſt, in ipſam Damonis domum irrũpere,Eroſtratum alloqui, illiq; et nomen, et cultum ſuum reddere, meq; hinc aliquo prorípere, neq; viuente Philogono in illius vnquam domũ redire, vbi ille me à puero quinquenne educauit. Verum percõmodè ſe nunc nobis offert Paſiphilus,eum ad Eroſtratum mittam, quo renuntiet velle me ipſum conuenire. PAS. Duplicem hodie accepi nuntium,et vtrũq; iocũdiſsimum:alterũ,quòd audiui Eroſtratum magnificum in noctem apparare cõuiuium:alterũ,quòd me paſsim per vrbẽ quęritat. Ego verò,quia iam ille deſtinat quærere,multoq; magis quòd libentiſsimè verſor,vbi conuiuia ſunt, decreui domũ adire. Sed eum ipſum video. EROS. Paſiphile,ni ſi tibi moleſtum. PAS. Moleſtum? Quaſi ve

rò tu non sis vnus omnium, cui ego obsequar libētius: vel si iubeas vt me vel in ignē cōijciam. Quid vis facere? EROS. Vt mihi è Damonis domo Dulippū accersas. PAS. Dulippum? Nō possum. EROS. Quid ais? PAS. Vinctus est. ERO. Quid vinctus? aut vbi? PAS. Loco sanè minimè cōmodo, domi heri sui. ERO. Vnde istud scis? PAS. Interfui ipse omnibus. ERO. Pro certo id habes? PAS. Vtinā nō haberem. EROS. Cęterū causam nosti? PAS. Mitte percōtari, ita res est. ERO. Amabo mi Pasiphile, si quando rem es facturus gratā, narrare ne pigeat. PA. Mitte, quid hoc ad te? ERO. Sane plus quā tu cogitas. PAS. Immo verò ad alios plusquā tu cogitas, vt ego taceā. ERO. Hęc sunt tua illa magnifica promissa, ô Pasiphile. PA. Maluissē ego hodie ieiunus esse, quā hùc appulisse. EROS. Aut hoc mihi expro me tandē, aut hę fores nunquā iam tibi patēt. PA. Citius omnes homines mihi velim inimicos, quā te vnū. Sed si quid audieris ꝙ sit parū gratū, te ipsum incusa. ERO. Nihil mihi poteit euenire tristius, quā Dulippi in

for-

fortunium, quodcunq; illud sit. Itaque iam scito te mihi renuntiasse tristissima omnia, qui illum in vinculis esse nũtiaueris. PAS. Quando verum audire vis, deprehensus est rem habere cum Polymnesta. EROS. Væ, et id deprehendit Damon? PAS. Quid ni? Vetula quædam rem omnem aperuit: continuò fecit vinciri, atq; vnà puellæ nutricẽ, cuius opera illi vtebantur: eò loci asseruari fecit, vnde (mihi crede) si prodierint tam cito, sat habebũt Deos propitios. EROS. Abi iam intrò, fac parari prãdium pro arbitrio. PAS. Næ tu, si regem me fecisses, non dedisses tam gratam prouinciam.

ACTVS QVINTI, SCÆNA tertia.

EROSTRATVS. PASIPHILVS.

VOlui hunc quamprimum à conspectu amotum, ne testis lachrymarum esset, quæ iam comprimi non possunt. O iniqua et acerba sors: omnia mala, quæ vel singula hominem miserrimum fecissent, ea tu incõ

gesta

gestá cumulasti:nec satis tamen modum fecisti,grauiora iam mihi videre videor. Primùm tu fecisti,vt herus meusPhilogonus, qui vel in iuuenta domo nunquam excessérat,nunc tam longè à patria proficisceretur extrema in ætate:et nunc demum ita attẽperatè veniret,vt potuerit nunquam incõmodius.Sic ventos,sic nauigationem attẽperasti,vt paulo ante non posset: sed in ipso adeò tempore,quo expediebat minimè,hîc adesset.Nec cõtenta his,me irretisse vinculis,furtiuos Erostrati amores prodidisti: cũ per biennium occultaueris hactenus,vt tãdem hoc tristißimo tempore palàm faceres,vt mihi iam quid faciã miser, aut quid cogitem,nõ sit:nam dolos comminisci mihi,iam nõ licet,nec res differri potest,cum singulis momentis de vita periclitetur Erostratus.Tandem placet Philogonum herũ meum quærere,illi rem omnem aperire,vt quamprimum opem ferat gnato de vita periclitanti:nimirum id optimum est. Sic faciam,etiam si sciam ingens mihi parari infortunium:vtcunq; tamen sit, amor meus

in herilem filium,eiusq; cõtra in me,id me admonet,atq; etiam,vt faciam,cogit: ac neglecta salute mea,de illius vt cogitem. Sed vbi Philogonum quæram? Cõmodius erit hîc expectare paululum : redibit hùc haud dubiè : nam si per vias illum alloquor, præ dolore insaniens exclamabit,cuncta turbabit,cõueniet populus:nec erit ea mediocris perturbatio.Satius erit,hîc tantillum expectẽ.PAS.Fiat:sed vide ne admoueris igni, priusquam accumbamus,singula seorsum, et attẽperatè:at ego nisi adfuissem, magnũ malũ haud dubie euenisset. EROS. Quid nam istud mali est?PAS.Volebat Dalius in vno simul veru admouere igni et turdos,et sumen suillum,minimè considerans quàm hoc lentè assetur, quàm illi citò torreãtur: si amouisset,refrigerarentur.EROS. Sanè, optimè est à te cõsideratum.PAS. Nũc volo emere mala medica,et oleas.Scio,vbi vẽdantur optima:alioquin sine his cõuiuium nihil habebit lauti. EROS. Ne te crucies: omnia erunt parata tibi.PAS.Hic postquã audiuit historiam,solicitus est,et animo anxius,

xius, zelotypia emoritur. Vtcunq; tamē ſe res habeat, mihi ſatis eſt, ſi hac nocte cœno: cętera nihil curo. Sed ego Cleandrū hūc venientem video, haud dubiè ille habebit Polymneſtam: nam Eroſtratus (quantum intelligo) cum hac dote non feret.

ACTVS QVINTI, SCÆNA quarta.

CLEANDER. PHILOGONVS. LYCVS. PASIPHILVS.

CLEANDER.

SEd tu quî poteris probare hūc Eroſtratū nō eſſe, quem omnes eſſe prædicāt? aut te eſſe Philogonum Cataneum, quē ille alter ipſius audaciter pernegat Eroſtrati teſtimonio? atq; eundem te, ille eſſe aſſeruerat? PHI. Ego me cōtinuò hîc vinciri patiar, vt aliquis cōtinuò Cataneā proficiſcatur, qui tres aut quatuor ſecum adducat ciues, viros bonos et fide dignos, quorum teſtimonio ſtandum ſit. Illi indicent, vter noſtrûm

Philogonus ſit, atq; ille proditor, veterator, ſit ne Eroſtratus, an Dulippus. PAS. Adire volo. CLE. Longum eſt iter, et magnum diſpendium: ſed quando aliud non licet, hoc mihi videtur cōmodiſsimū, quod neceſsitas cogit. PAS. Seruent te ſuperi, patrone. CLE. Et tibi dent factis tuis digna. PAS. Næ illi ſemper te mihi propitium dabunt. CLE. Immo verò dabunt exitium et crucem, proditor, guloſe. PAS. Guloſum ſanè patiar, agnoſco, perfidiæ nota ferēda nō eſt: nec tu æquum facis, qui hominē ſtudioſum tui ſic accipias. CLE. Neq; ſtudiū tuū, neq; amicitiam volo. PAS. Quid ego feci? CLE. Abi in malā rem furcifer. PAS. Modeſtius, quæſo, ô Cleander, bilem cōprime. CLE. Hoc tu, mihi crede, inultum nō feres heluo. PAS. Quod ſciam, nūquam te offendi. CLE. Faciam ego, vt intelligas, vbi tempus ſit: amoue te hinc, ſcelus. PAS. Cleander, ego tibi non ſum ſeruus. CLE. Audes loqui, peſtis? Ego iam faxo. PAS. Ferendū, Herclè non eſt: quid tu facies? CLE. Quid ego faciam? Niſi habenda eſſet ratio. PAS.

Nihil eſt, quod tibi debeam cedere, nec ſum te deterior. CLE. Mentiris furcifer. PHI. Ah, cōtine te, ne tantopere ſæui. CLE. Ego met tempus inueniam. PAS. Satius erit cō temptum hunc relinquere, quàm cum eo litigare. CLE. Ah, ſi tu iſtud impune fers. PAS. Quid ego te timeam, qui penſi nihil habeo? Quaſi verēdum mihi ſit, ne falſis li tibus mea prædia occupes. PHI. Tu iracun dia præpeditus es. CLE. Scelus: ad rem re-deamus: non ego quieſcam, niſi hūc in cru-cem egero. PHI. Turbatus es, non audies li benter. CLE. Minime: quin tu hoc age: dic quod videtur. PHI. Ego ita ſentio, aliquem eſſe mittendum Cataneam ad inquirēdum de re tota. CLE. Maximè, ſic fieri oportet, intellige. Sed quomodo, aut vnde hunc ha buiſti ſeruum? Volo mihi rem totam expe-dias. PHI. Ego dicam. Quo tempore à Tur cis expugnata fuit Tarentum. CLE. Reno uas memoriam acerbiſsimi tēporis. PHI. Qui nam? CLE. Tunc ego inde fugiens, tā tam feci iacturam, quantam nunquam ſpe ro reſarciam. PHI. Dolet. CLE. Sed tu per-

ge. PHI. Eo tēpore quidam nostrates, qui rem maritimam triremibus obtinebant, cū per exploratores cōperissent quādam Turcarum nauim præda onustam Dyrrachiū nauigare. CLE. Forsitan et hîc bona pars erat mearum rerum. PHI. Illi naui per vim potiti, Siciliam redeunt: illic autem inter alia, quæ venum exposita sunt, hic puer erat quinquennis, plus minus ve, vt arbitror. CLE. Hei, hac ætate ego reliqui filiū. PHI. Is cū placuisset, viginti quatuor emi aureis. CLE. Erat ne is ex genere Turcarū, an ex prędа? PHI. Minimè verò, sed ex ipso oppido captus. Verum hoc quid ad te? Ego certè mea pecunia emi. CLE. Non eo animo dico. Dij facerent is esset, quem ego cogito. PHI. Quem tu esse velles? LYC. Scilicet, et id modo curandū est? CLE. Nūquid tunc vocabatur Dulippus? LYC. Quin potius cura res tuas, ô here, atq; istum omitte. PHI. Nō tu abstines bellua? Carinus ille vocabatur, nō Dulippus. CLE. Deum immortalem, quid si hic me hodie lętaretur. Quid igitur, nomē mutastis? PHI. Quia eum flentem

tem id nomen iterare sæpe audiebamus. CLE. Planè iam intelligo, non alium hunc esse, quàm filium meum Carinum: hic autem Dulippus, quem sæpe ille vocabat, eius erat pædagogus seruus meus. LYC. Non ego tibi dixi, ô here, nos versari inter latrones hîc in Ferraria? Hic, quo tibi adimat seruum tuum, nunc fingit esse suum filium. CLE. Non ego is sum, qui mentiri soleam. LYC. Non credo. CLE. Non est, quod vel minimã suspitionem de me habeas, ô Philogone. LYC. Ita sanè, ego nõ habeo minimam, sed maximam. CLE. Tace si vis. Dic mihi, nomẽ patris, aut matris tenebat puer? Aut quicquam meminerat de suo genere? PHI. Tenebat, et dicebat sæpe, sed mihi excidit. LY. Atqui ego memini. PHI. Dic illi, si nosti. LY. Nõ dicã, vel si occidas, nisi ille prius dixerit. Quasi verò nõ intelligerẽ illũ tentãtem loqui. CLE. Nomẽ meũ iam vos tenetis: vxor mea, atq; ei⁹ mater dicebatur Sophronia: genus meũ Platæensiũ est. LY. Ego matrẽ eius ita appellatã scio: cetera ne scio. Sed fieri potest, vt iá ab illo sis edoctus,

atq; hæc ex cōposito agantur. CLE. Nō est iam indicijs opus: hic haud dubiè gnatus meus est, quem totos iam decem annos tan quam amissum et mortuū defleo: næuum oportet habere illum grādiorem in sinistro humero. LYC. Mirum est, si hæc ille dixerat: næuum certè habet: cęterum. CLE. Bona verba Lyce, eamus quæsitum vbicunq; est. O fors fortuna, quid ego repēdam tibi, quæ me hodie inuento filio bearis? PHI. Tā to ego minus illi debeo, qui perdiderim meum. Tu verò quem mihi patronū adoptaueram, iam te in meam perniciem, et filij patrocinium conuertes. CLE. Nūc Philogone filium meum adeamus: spero Deus faxit, vt tuū inuenias. PHI. Eamus. CLE. Apertas fores video: derepēte introeamus, potero iam vt domesticus. LYC. Caue etiā adhuc here, ne fortè tibi intus parentur insidiæ. PHI. Quasi verò filio mortuo mihi vita expetenda sit. LYC. Iam ego prædixi: tu quod velis, facies.

ACTVS QVINTI, SCÆNA quinta.

DA-

DAMON. PISSYTERIA.

ADes hùc garrula ebria, vnde hoc Pasiphilus nisi à te potuit comperire? PIS. Ille à me nunquam sciuit: quin potius ille prædixit. DAM. Tu mentiris venefica: ego exculpam iam à te verum, aut omnes palpebras depilabo. PIS. Si aliud inueneris, occidito. DAM. Vbi te ille conuenit? PIS. Hìc in via. DAM. Quid tu ibi? PIS. Hùc exierã ad vicinam, quæ nobis texit telam. DAM. Quid ad illum attinebat hæc loqui, nisi tu inuitasses? PIS. Immo ille cœpit me obiurgare, quòd tibi rem aperuissem, atq; omnia narrauit audisse se ex latebris, cũ tu me hodie euocasti. DAM. Væ mihi, quid faciam? Redi iam intro prius quàm moriar. Non ego his plagiarijs linguam præcido? Sed magis adeò me cruciat Pasiphilum cõperisse, quod negligentia mea sit factum. Qui voluerit rectè cõmissa sua cõsilia, illa Pasiphilo mãdet, in vulgus sparserit: nemo nesciet, nisi si quis aures non habet. Iam rumor totam vrbẽ fuerit peruagatus, et vt arbitror, primus sciuerit Cleander: deinde Erostra-

eus, postea per manus perambulabit, ad omnes peruenerit. Quando iam illi licebit inuenire maritum? Nemo est me vno miserior. Dij facerent, verum id esset, quod dixit filia: hunc, videlicet, non esse tam infimo loco, quàm simulat: quin potius præclaro genere, et lauta familia apud suos: vel si dimidio minus esset, nõ infœliciter omnino eueniret, si illi vxorem darem. Sed ego hæc ficta ab illo ad illudendum arbitror. Sed iam ego per tormenta exquiram verum. Sed quid? Nonne hic est Pasiphilus, qui à vicino exit? Quid sibi vult tanta lætitia, qui sic in publico saltat, et gestit, vt insanire videatur?

ACTVS QVINTI, SCÆNA sexta.

PASIPHILVS. DAMON.

FAxint superi, ego iam Damonem domi inueniam, ne mihi sit toto quærẽdus oppido: atq; alius mihi hoc nuncium tam lætum præripiat, quem ad illum perfero. O pul-

pulchrè factum: pro foribus video. DAM. Quid hic boni nuntiare potest? Quid boni affers Pasiphile? Quî tam lætus es? PAS. Mihi huius lætitiæ causa tua fœlicitas est. DAM. Quid est? PAS. Ego scio filiæ causa te nunc distorqueri. DAM. Qui nō? PAS. Scito, huius criminis authorem, eius homi nis esse filium, vt te eius generis pigere non debeat. DAM. Quî tu scis. PAS. Pater eius est Philogonus Cataneus, quem iam tibi credo esse notum diuitiarum fama. Heri ex Sicilia veniens, diuertit ad hunc nostrum vicinum. DAM. Erostratum nimirum. PAS. Immo Dulippum verò: hactenus omnes Erostratum credidimus, cum non sit: immo illum, quem tu vinctum domi habes, is Erostratus est: qui hactenus se Dulippum vocari voluit: atq; huius, qui verè Dulippus est, hic est seruus: atque ob id tota hæc fabula incępta est, vt ille sub nomine seruili latens id faceret, quod fecit domi tuæ. DAM. Verum ergo est, quod mihi narrauit dudum Polymnesta. PASI. Iam illi ad te hûc vltro venient, si mihi fidem

dem non habes. DAM. Volo ego iam intro ire, vt me comparem, ne ita impræmeditatum adeant.

ACTVS QVINTI, SCÆNA septima, et vltima.

CLEANDER. PHILOGONVS. NEBBIA. DAMON. PASIPHILVS.

CLEANDER.

IAm ſatis multa hac de re: erit aliquando cum tibi recordanti hęc res magnam afferat voluptatem: erit hiſtoria iucundiſsima, quæ tibi ſuppeditet vel millies adloquendũ argumentum. Atq; hoc pro certo habe, nõ hoc ſine diuino geſtum conſilio, quo mihi liceret reperire filium: alioqui nũquam potuiſſem, tanta erat inter me, et illum ſimultas, tantum odium, quemadmodum tu te noſti. PHI. Ita eſt, nihil ſine diuina voluntate euenit: ille ille eſt, qui nobis hoc tantum gaudium neq; ſperãtibus obtulit. Sed quid hoc?

hoc? Nunquam istum Damonem videbimus? Singula mihi momenta anni videtur, ita filium expeto. CLE. Tu, si videtur, domi mane interim cum meo filio: nam huiusmodi res sine arbitris geri volunt. PHI. Faciam, si tibi videtur. CLE. Sed eccum eum ipsum egredientem domo, adeamus. PHI. Ita ne vis? CLE. Iam ille à Pasiphilo rem omnẽ accepit, et hùc ad nos ille properat. PHI. Tu prior adito, qui hominem noris. CLE. Faciam, non dubito. Damon, spero omnes has turbas tibi cessuras in magnum gaudium: et tibi susceptam molestiam voluptati fore, cum noueris Dulippum famulum tuum huius turbæ authorem hoc tali patre natum, Philogono nimirum Cataneo, qui genere et conditione te non inferior, diuitijs certe et fortuna (vt tu te nosti) longè superior est. PHI. Equidem et filij peccatum quacunq; ratione velis, pensare sum paratus: ac si tibi lubet, generum vltro offero, nisi quid tu aliud mauis, quod mihi perinde erit gratum. CLE. Id ipsum mihi videtur, etiam si paulo ante filiam tuam

am-

ambibam:nec erit quicquã gratius, quàm vt mea causa huius filio eam colloces, cui vel propter ætatẽ,vel amorem,alijsq; multis de causis aptissima est. Ego qui hactenus vxorem concupiueram, vt haberem, cui bona mea relinquerem,iam missam facio,postquam heredem meum vnicum reperi,quod arbitror te iam scire:et magis per ocium narrabo postea. D A M. Affinitas hæc et necessitudo mihi tecum multis nominibus,ô Philogone,non minus expetenda est,quàm tibi mea:atq; ita ego à te oblatam accipio,vt nihil possit contingere gratius. Filium tuum generum libenter accipio,et tanquam filium mihi adopto. Affinitas autem tua magno mihi erit ornamẽto: atque hoc mihi magis optato contingit, quòd video id fieri cum gratiá,et voluntate tua,ô Cleander,cuius filium inuẽtum esse, dici non potest,quàm gaudeam, id quod á Pasiphilo plenè mihi est enarratum. En tibi igitur,ô Philogone, charum et expetitũ gnatum tuum:en tibi et nurum, vel filiam potius. PAS. Proh, quanta est vis paterni

amoris

amoris in liberos. Vnum verbum vix potest exprimere Philogonus: lachrymæ vltro præ gaudio labuntur ex oculis. DAM. Iam nos intro in domum eamus. PAS. Pulchrè, eamus, eamus. NEB. Here, en tibi cõpedes, quos iussisti adduci. DAM. Apage, abi isthinc. NEB. Quid cum his fieri vis? PAS. Mitte, tibi serua.

Vos valete.

Finis.

Toleti,

Apud Ioannem Ayalam.
Anno. 1574.

